voluntariè alienare prohibitus est, afficiat successorem, independenter, ac jure proprio venientem, clarum æquivocum est, hanc generalem propositionem, istis terminis applicare; Procedit enim in actibus indifferentibus, inter alienare, vel contrahere non prohibitos, sed liberam habentes suorum bonorum dispositionem ad effectum evitandi nullitatem resultantem ex dispositione text. *in l. 1. ff. de transact. cum concord.* nè detur transactio in re clara, & sine lite, ut ita litis timor, ac talis qualis probabilis dubietas sufficiat ad tollendum hunc defectum generalem, non autem ad istos, vel similes effectus speciales cũ personis prohibitis.

Et nihilominus, ubi etiam inter non prohibitos ageretur adhuc absolutum juris principium est transactionem eatenus
16 substineri, quatenus per illam dubius litis eventus cum quodam honesto temperamento terminetur utrique proficuo, si non æqualiter, saltem in parte proportionata, majori, vel inferiori collitigantium juri, adeout aliquid respectivè hinc inde detur, vel remittatur, secus autem ubi unus transfigentium obtineat totum id, quod ex rigoroso sperato litis eventu obtinere posset, cum tunc dicatur transactio leonina; Nisi ejus jus adeò clarum sit, quod remissio expensarum, seu interusorium, ac fructuum medii temporis, ipseque recessus à lite, dici valeat congrua recompensa juris alterius collitigantis; Ac propterea stante dicto præsupposito, quod huic parti magis expediens fuisset omnimoda succumbentia, ita cessabat omnis ratio dubitandi, quamvis non de Communitate privilegiata, sed de quolibet privato ageretur; Ideoque causæ punctus restringi videbatur ad solum factum, quod per alteram partem acriter impugnabatur, an scilicet subsisteret, necnè dictum præsuppositum evidentis præjudicii.

Demum in nulla consideratione habendam esse dicebam d. circumstantiam, in qua adeò magnum fundamentum constituebatur, quod hæc transactio auctorizata esset à Præ-
17 fecto Congregationis, in qua lis pendebat, quoniam ita est quidem circumstantia satis considerabilis ad arguendam bonam fidem, juxta ea, quæ in proposito transactionis super bonis fideicommissi cum auctoritate, vel mediatione, judicis, vel alterius qualificatæ personæ habentur in Romana successionis de Comitibus 26. Junii 1647. & 26. Junii 1648. coram Ghislerio, quæ reputantur in materia magistrales, sæpiùs in aliis canonizatæ, *impress. dec.* 44. & 48. post Censal. ad Peregr. & quarum prima est etiam *repetit. dec.* 228. *p.* 10. *rec.* & habetur *in Romanæ donationis de Silla sub tit. de fideic. disc.* 140. Sed ubi constet de læsione, seu defectu justæ causæ, id nihil operatur, ut advertitur supra *disc.* 1. & in aliis, super conclusione, ut beneplacitum Apostolicum non suppleat defectum causæ, ac etiam *disc. præced. & pluries in seq.* ut decretum Judicis aliæque solemnitates in nulla consideratione habeantur, ubi causa deficit.

URITANA SEU NEAPOLITANA CENSUUM PRO CARDINALI FARNESIO ET MARIO ALBERICIO CUM COMMUNITATE OPPIDI MISANIÆ.

Responsum in causa vertenti in Regia Camera Neapolis.

De eadem materia validitatis, vel invaliditatis impositionis censuum, vel alterius alienationi factæ per Communitates in Regno Neapolitano; Et qui ubi specialiter provisum sit ultrà juris communis dispositionem. Et in specie, an alienatio cum Regio assensu, aliisque solemnitatibus substineatur, si facta sit in causam extinguendi debitum; vel censum, absque dictis solemnitatibus contractum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur puncti, seu inspectiones.*
3 *Lex respicit futura, non præterita.*
4 *An licentia Principis requiratur de jure in alienatione bonorum Communitatis.*
5 *Quando lex sit declarativa juris dubii.*
6 *Quod tunc trahatur ad præterita.*
7 *De beneplaciti, vel alterius solemnitatis præsumptione ex lapsu temporis.*
8 *Quale tempus requiratur, distinguitur.*
9 *De determinatione Regiæ junctæ circa tempus 20. annorum.*
10 *Quid contineat dicta determinatio.*
11 *Novus census ad minorem fructum potest imponi sine solemnitate pro extinguendis antiquis solemniter impositis.*
12 *Quid ubi antiquis est sine solemnitate quæ adsit in novo, uti iste valeat.*
13 *Consulentibus quando non sit deferendum.*
14 *Contrarium magis placeat, ut non valeat in Communitate, secus ubi agitur de fideicommissis, & majoratibus.*
15 *De ratione differentiæ.*
16 *De eadem differentia inter unum casum, & alterum.*
17 *Quando primus actus est invalidus, deficit justa causa.*
18 *De onere bonatenentiæ.*
19 *An debeatur ab ecclesiasticis.*
20 *An, & quando intret compensatio, vel imputatio ipso jure.*

DISC. XXVI.

PRo aliquibus antiquis censibus extinguendis, aliisque indigentiis, Communitas Oppidi Misaniæ plures impo- 1
fuit census ad favorem N. Albericii., ejusdem Oppidi Baronis; Cumq; eo defuncto, primogenitus hæres universalis census extinxisset, vel cessisset, unde solum remanebant debendi in summa duc. 54. m. circiter, Istique ab eo cessi fuerint Mario fratri secundogenito pro legitima, aliisque juribus, ac etiam Cardinali Farnesio avunculo petentibus istis decursorum, & currentium fructuum solutionem, Communitas prædicta, de eorumdem censuum invaliditate opposuit, unde propterea introducta causa in Regia Camera Summariæ Neapolis, ex eorumdem Cardinalis, & Marii creditorum parte, super facti notula a dicta Civitate transmissa, continente dictæ Communitatis exceptiones, seu prætensiones, consultus fui, tam ad effectum audiendi meum sensum in bono jure, quam ad effectum scribendi in causa, quæ pluries habebat inspectiones, facti, præsertim circa versionem pecuniæ in causas expressas, ac alia, quæ absque inspectione juris, cum ipso facto tollebantur.

Juris autem tres erant inspectiones; Primò scilicèt defectus Regii assensus requisiti in eo Regno in impositionibus censuum, aliisque contractibus quæ fiant per Communitates *per pragmat.* 11. & 12. *sub tit. de administratione Universitatum per pragmat.* 8. *sub tit. de Commiss.* an scilicet iste requisitus esset, & quatenus requireretur, an suffragaretur præsumptus: Secundò circa aliquas partitas, in quibus aderat dictus assensus Regius expressus in causam tamen extinguendi census antiquiores dicto assensu non vallatos; Et tertiò, an creditum quod ipsa Communitas habere prætendebat, tam cum primo creditore, quàm cum dicto primogenito ejus filio, & hærede universali, tanquam respectivè ejusdem Oppidi Barone, ipsisque cessionariis, veniret singulis anni, imputandum in eorumdem censuum sortem, quæ ita, vel in totum, vel pro notabili parte extenuata prætendebatur.

Quatenus pertinet ad primam inspectione, cum dictæ *pragmat.* 11. & 12. *de administ. Universit.* prodierint de anno 1605. & 1606. Advertebam distinguendas esse partitas, quoad census etenim creatos ante dictas pragmaticas, istæ non obstabant ex regula, quam habemus in novis legibus, ut de earum natura respiciant futura, & non trahantur ad 3
præterita, *l. leges C. de legib. c. ult. de Constit. cum concord.* collectis per Farin. *in fragment. verbo lex n.* 36. Rovit. *pragmat.* 2. *de cens.* Mant. *dec.* 259. *n.* 4. & *passim*.

Istud motivum, solum, ac de per se non videbatur omninò tutum, quoniam ex iis, quæ habentur deducta apud Rovit. *cons.* 64. *n.* 1. *l.* 1. cum quo pertransit de Marin. *resp.* 77. *n.* 10. *l.* 1. ista solemnitas licentiæ Principis, vel Supremi Magistratus per dictas pragmaticas requisita, videtur, (juxtà unam opinionem) requisita etiam de jure communi, qua si quod sit una ex solemnitatibus, quas ad materiam text. *in l. fin. C. de vend. reb. Civitatis l.* 11. recensent Cohell. 4
& Rota *in locis*, de quibus, *disc. præced.*

Quidquid enim sit de hac opinione, quando principaliter ageretur de annullando contractum ex ista causa (quo casu probabilius esset annullationi locum non esse, quoties id priùs non esset in usu, dum allegati à Rovito loquuntur de decreto Judicis, non autem de assensu Regis, ut plenè in ultima decisione edita in casu, de quo *disc. præced.*) Difficultas considerabilis consistere videbatur in eo, quod dum id est

id est de jure communi saltem dubium, ita dictæ pragmaticæ dicendæ non sunt omninò inductivæ novi juris, sed po-
5 tiùs renovativæ juris communis, vel ejus declarativæ ad tollendam quæstionem ex opinionum varietate resultantem; Hoc autem posito, sequitur, ut lex nova, utpotè
6 edita pro declaratione legis antiquæ habeat oculos retrò, atque trahatur etiam ad præterita, ex eisdem mox allegatis, idem Rovit. *in præfat. ad pragmat. num.* 8. Merlin. *dec.* 231. *n.* 7. & *frequenter*.

Adhuc tamen, nimium suffragari observabam, ut dictæ pragmaticæ posteà supervenerint, quoniam, cum de tempore impositionis non adesset positiva resistentia legis ita expressè disponentis, sed solùm id prætenderetur ex dispositione juris, quæ vel non aderat, vel erat dubia, hinc
7 facilius loco est præsumptioni dictæ licentiæ, seu beneplaciti, etiam per solam observantiam decennalem, absque necessitate verificandi observantiam tricennalem continuam, veram, & univocam, cum rigorosis requisitis desideratis, ubi adsit juris resistentia positiva, juxtà distinctionem, de qua in hac materia præsumendi extrinsecas solemnitates, cæteris relatis, habetur apud Gabr. *de præsumpt. conclus.* 1. *cum aliis supra disc.* 1. & *sub tit. de dote disc.* 143. ubi latiùs de materia.

Ideòque magnam differentiam videre advertebam, inter illos casus, in quibus dictarum pragmaticarum positivum obstaculum adesset, & conversum, ob dictam rationem
8 exigendi majus, vel minus tempus; Ac etiam quia post pragmaticas, magis convincibilis, est negativa ex revolutione regestri, potissimè verò ab anno 1615. ex quo tempore supponitur invaluisse usum registrandi has licentias.

Verùm, media quædam via circa dictam præsumptionem de anno 1613. electa fuit, per quandam particularem Congregationem de super deputaram, (quæ ibi juxtà Hispanicum loquendi usum, Juncta dicitur) ut scilicet spatium
9 annorum viginti sufficeret, quod in præsenti adesse videbatur; Licèt enim Scribentes pro Communitate dicerent, ut de observantia dicti temporis doceri deberet de tempore, quo dicta resolutio prodiit, quasi quod ista esset lex præcisa, certam inducens formam, Attamen id videbatur æ-
10 quivocum; quoniam dicta determinatio potiùs continere videbatur quandam declarationem legalis dubiæ dispositionis, sed dec sionem quæstionis, quæ inter DD. viget super tempore; Aliis volentibus sufficere longum annorum decem Aliis verò esse debere annorum 20. Ac aliis exigentibus tempus longissimum 30. annorum; Ideòque dicta media via, seu conciliativa opinio electa est, cum tamen etiam tricennale, ac majus tempus concurreret, neque ista sola præsumptio adesset, sed aliæ concurrerent resultantes ab approbatione facta per Regentem Tappiam in statu generali Communitatum de anno 1626. & ab alia probatione facta per Collaterale Consilium de anno 1652. aliaque aderant adminicula, ideòque beneplacitum præsumptum rectè intrabat.

Quo verò ad census impositos post dictas pragmaticas, ad effectum extinguendi alios census antiquos in vim cessionis juris luendi in eo Regno satis practicati, de quo apud Capyc. Latr. & Adden. *dec.* 16. & pluries *sub titul. de*
11 *credito*; Pro censibus Regio assensu vallatis, nulla cadebat difficultas, quoniam, ubi primum debitum est validum, adeò ut secunda impositio non addat gravamen, sed potiùs iminuat, tunc novus assensus non requiritur, ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Rodriquez, *de annuis reddit. q.* 14. *n.* 31. Cenc. *de cens. q.* 15. *n.* 33. & *seq.* plenè Salgad. *in labyrinth. p.* 3. *cap.* 4. *per totum*, & advertitur *suprà disc.* 1.

Ideoque difficultas erat in illis antiquis censibus, qui di-
12 cto assensu carebant, quamvis novi adhuc effectum impositi dicto assensu vallati essent; atque istorum respectu, scribendo pro creditoribus dicebam eos esse validos, cum creditor non teneatur indagare de validitate, vel invaliditate debiti extinguendi, ut plenè probant Molin. *de primogen. lib.* 1. *capit.* 10. *num.* 25. Noguerol. *alleg.* 3. Capoblanc. *de Baron. pragmat.* 1. *num.* 298. & *sequent.* plenè Salgad. (qui disputat quæstionem ad partes) *in labyrint. part.* 2. *cap.* 17. *n.* 46. & *seq.*

Quamvis autem ego scribens ad causam, insisterem, quod dicta opinio tenenda esset neglectis Rovit. *dict. consil.* 64. *lib.* 1. & de Marin. *resol.* 77. *n.* 9. *lib.* 1. contrarium sentientibus; Tum ob majorem auctoritatum calculum; Tum etiam, quia contraria opinio aliam non habet auctoritatem nisi eam Roviti consulentis ad causam, quæ suspecta
13 est, sive in nulla ratione habenda, dum in eo casu contrarium fuit decisum, unde propterea intrat ponderatio, de qua apud Franch. *dec.* 260. *n.* 5. & 6. quod quando allegantur consilia, perquiri debent decisiones super eis proditæ, iisque attendi, inculcando dictam rationem, quod secundo creditori sufficit sequi publicam fidem Principis, ita prohibitum habilitantis ad hunc effectum specialem extinguendi certum debitum, dum ita creditor, opinari justè potuit, quod occasione concedendi licentiam, investigata fuerit dicti debiti extinguendi validitas.

Reflectendo tamen ad veritatem, motivum videbatur periculosum, atque apud me adhuc vigebat difficultas (quam tamen deindè præsuppositum fuit removeri ex fa- 14
cto; Vel quia primi census impositi essent ante pragmaticarum editionem; Vel quia inventus quoque esset assensus;) Opinio siquidem, quam tuentur Molina, cum cujus opinione processum fuisse, non laudando, testatur Rovit. *dict. cons.* 64. *in fin.* ac etiam Noguerol. & alii, probabilis est, ac recipienda videtur, in iis casibus, in quibus prohibito alienandi proveniat à solo impedimento accidentali quod per legem, vel per hominem, sive utrumque simul adjectum est bonis, ut contingit in bonis pertinentibus ad fideicommissa, seu majoratus, & primogenituras de quibus ipsi loquuntur.

Isto enim casu, persona alienantis non est inhabilitata ratione imperfecti judicii, sive quod ipsa tanquam intellectualis nullam habeat contrahendi habilitatem, adeòut perne-
cessè pendeat ab administratoribus, ut est in alienationibus bonorum Ecclesiæ, vel Communitatis, cum similibus sub aliena administratione necessaria viventibus, tamquam per speciem pupillorum, vel amentium, & consequenter magna viget ratio differentiæ; Primò enim casu, ut pluries advertitur *sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum* pre- 15
sertim *disc.* 74. & *disc.* 89. cum possessor fideicommissi interim sit verus, ac perfectus dominus, nullamque habeat aliam prohibitionem disponendi, vel alienandi, nisi eam quam, ab Augusto citra, lex positiva induxit; Hinc proindè Princeps, concedendo licentiam, seu facultatem, aliud gerere non dicitur, nisi removere obstaculum prædictum, ac propterea ille, qui alienationem facit, eam facere dicitur, jure suo, tanquam per remotionem impedimenti, absque necessitate concursus copulativi justæ causæ.

Non sic est in ea licentia, quæ tribuitur alienandi bona Ecclesiarum, vel Communitatum, aliarumque hujusmodi intellectualium personarum, quæ de necessitate sub alie- 16
na administratione vivunt, & pro quibus, utpotè non habentibus velle, vel nolle, pernecessè actus ab administratore explicandus est, quoniam tunc, ut in proposito alienationis bonorum Ecclesiæ advertitur *supr. disc.* 1. & in plerisq; aliis, & in his terminis Communitatum habetur *duob. disc. proximè præced.* duo requisita copulativè desiderantur, atque concurrere debent, illud scilicet solemnitatis, & alterum justæ causæ, consistentis in necessite, vel utilitate, neque assensus, dictæ causæ defectum supplet.

Causa verò adesse non dicitur, ubi debitum extinguendum invalidum esset, dum ita nulla subesse dicitur necessitas pro debito, ad cujus solutionem Communitas cogi non poterat; Minusque utilitas ex eadem ratione, & consequenter pro meo judicio, erroneum videtur, parificare dictos terminos facultatis quæ conceditur possessoribus fideicommissorum, & majoratuum, cum istis terminis Ecclesiarum, vel Communitatum, seu pupillorum, ac similium, cum longè diversa sit ratio.

Demum quoad ultimum punctum imputationis in sortè ejus, quod prætẽdebatur singulis annis debitum ratione contributionis forensium, quæ ibi vulgò *bonatenentia* dicitur; Difficultas removeri videbatur ex facto, stante pacto expresso franchitiæ in ipsa impositione, quod pactum improbum non est, quoties facta oneris computatione, fructus non excedant taxam permissam; cum ita pactum dicatur pars pretii, ut advertitur *sub tit. de censib.* & sub altero *de Regal* in hoc proposito contributionum, seu collectarum, duo pro tempore, quo census fuerunt possessi per dictum Baronem, cujus favore impositi fuerunt, vel per ejus successorem, licitum erat exigere fructus ad majorem rationem, etiam respectu Communitatum, seu Universitatum, cum adhuc facta non esset illa reductio, quæ posteà sequuta fuit, atq; id, quod exactum erat (facta deductione dicti oneris) non excedebat summam licitam; Postquam verò iidem census effecti fuerunt dictorum cessionariorum, dicebam cessasse onus, cum isti essent clerici ad illud non obligati, cum non esset onus verè reale, fixum, & invariabile, sed potiùs mixtum, ex iis, quæ habentur *sub tit. de Regal. disc.* 50 & *seqq.* Quamvis in his

19 his specialibus terminis oneris solvendi per forenses ex sola ratione bonorum, aliqua subesse possit difficultas, ut ad eamdem materia vectigalium, seu collectarum habetur *in Pennen. seu Adrien. sub eod. tit. de Regal. in supplem.*

Et nihilominus advertebam, quod imputatio ipso jure, præsertim ad impediendum cursum fructuum, vel usura-
20 rum, intrat in credito repetibili, sive ubi intraret infectio usuraria, ob quam id, quod sub nomine fructuum solvitur, in sortem ipso jure cedit, *sub tit. de usur.* & sub alaltero de cambiis, ac etiam sub illo *de credito;* Non autem ubi agitur de censibus, quorum sors est irrepetibilis ex parte creditoris, solumque in debitoris facultate est eam solvere, ideoque debitore non declarante, non intrat compensatio, ut in sua materia *sub d. tit. de censib.* Et quando etiam adesset, non teneretur creditor sortis restitutionem adeò diminutam recipere; Benè verum, quod declaratione accedente, creditum quod debitori censuario supervenit, dici posset effici fructiferum ratione damni emergentis, quod sonaret in idem.

TARENTINA CENSUS. PRO CATHARINA FISCHETTI CUM N.

Casus disputatus coram A. C. & in Rota, & resolutus pro Catharina.

De eadem materia invalidæ impositionis censuum factæ per Universitates Regni Neapolitani sine Regio assensu; Et quid ubi illa facta non sit directè cum ipsa Universitate; sed cum aliquibus particularibus: An istorum respectu contractus sit validus, ipsique obligati remaneant, necne: Et an juramentum tollat obstaculum Pragmaticarum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Impositiones censuum per Communitates sine assensu Regio sunt invalidæ etiam respectu particularium.*
4 *Motiva facti sunt meliora.*
5 *Ubi actor benè fundavit suam actionem, reus tenetur probare plenè exceptionem.*
6 *Declaratur conclusio, de qua numer. 3. quando procedat.*
7 *Quod ista quæstio, de qua n. 3 & 6. sit facti, & quomodo decidenda.*
8 *Collusio in hac materia est difficilis probationis, & quomodo probanda sit.*
9 *Actus jurati non subjacent statutis laicalibus, & Regiis pragmaticis.*
10 *Quare in Curia particulares obligari pro Communitate conveniantur.*
11 *Quod non placeat conclusio, de qua n. 9. circa vim juramenti.*
12 *De limitatione quod juramentum indirectè tollatur à statuto laicali.*
13 *Declaratur ista limitatio.*
14 *Juramentum non suffragatur in actibus simulacris.*
15 *Neque illud oneratur, ubi adversatur favori publico principaliter.*
16 *Quare in debitis communitatum principaliter consideretur favor publicus.*
17 *De ratione ob quàm rigorosè procedendum est in hac materia.*
18 *De ratione claudicationis, ob quam juramentum non debet operari.*
19 *De abusu non attendendi fundata ratiocinia.*

DISC. XXVII.

1 LEonardus, Petrus, & Angelus, vendiderunt Antonio, pro sorte duc. mille, censum duc. 100. quem Antonius deindè in dotem dedit Catharinæ filiæ, à qua (mortuo viro) pro fructibus coram A. C. petita, & obtenta fuit associatio ad fundos censitos contra eorum possessores, & commissa per Signaturam Justitiæ causa appellationis in Rota coram Taja, cum clausula translativa, si quid exequendum, sub die 15. Junii 1664. in contumaciam alterius partis, ad ipsius Carherinæ solum informantis favorem, pro executione prodiit resolutio, confirmata 5. Decembris sequentis, incertumque est, ac causa ulteriorem habuerit progressum, dum de illa actum non audivi.

Major autem disputatio per me habita fuit in prima instantia coram A.C. dum in prima disputatione Rotali cum 2
procederetur, una tantùm parte informante, per agentes ex parte Catharinæ datæ fuerunt eædem informationes, atque penè in omnibus, cum eisdem, (quatenus pertinet ad hunc punctum invaliditatis contractus, ex eo quod impositio facta esset in causam cujusdam Communitatis) processum quoque fuit in secunda disputatione, in qua major difficultas erat circa formam præscriptam à Bulla Pii V. an bene servata esset, necnè.

Quatenus igitur pertinet ad dictum punctum, quod scilicet ageretur de debito Communitatis, ideoque invalido, ac in judicio non experibili, ubi munitum non sit Regio assen- 3
su, juxta illius Regni pragmatic. 11. & 12. *de Administr. univers. & pragm. 8. de Commissar.* Dicebant Scribentes pro reis conventis, quod licèt hujus census impositio directè facta non esset cum ipsa Communitate, ejusque administratoribus, sed cum tribus particularibus, attamen idem erat effectus; stante dispositione Regiæ *pragmat. 12. de administr. univers.* per quam disponitur, ut ita invalidæ sint alienationes, aliæque obligationes, quæ fiunt directè per ipsas Communitates, sicuti sunt factæ per particulares, cum ita id fieret in fraudem, & de cujus pragmaticæ dispositione agitur apud Marin. *resf. 77. l. 1. & resf. 59. l. 2.* Capobl. *de Baron. tom. 1. q. 83. n. 17.* apud quos referuntur Thor. Novar. *& alii de eodem agentes.*

His tamen non obstantibus, dicebam ego scribens pro actrice, ex triplici fundamento, hanc exceptionem nullam habere subsistentiam; Primò ex facto (ex quo semper omnium meliora, & solidiora motiva resultant), quod scilicet 4
hoc præsuppositum contracti debiti in causam Communitatis, utpotè extrinsecum ab instrumento, in quo de hoc nulla mentio habebatur, non justificaretur sufficienter; Quamvis enim aliquis fumus daretur, attamen cum actor haberet clarè, ac benè fundatam ejus intentionem in instrumento publico faciente probationem probatam, exindè resultat, quod reus, qui de actionem elidendam extrinsecam 5
exceptionem deducit, actoris partes in tali exceptione assumere dicitur, circa onus perfectæ, & concludentis probationis, qua non sequuta, remanet exceptio turbida, & altioris indaginis, non apta retardare executionem, vel summarium judicium, quod in vim benè fundatæ actionis competit actori, juxtà satis vulgaria, & quotidiana recepta axiomata sæpiùs insinuata, & de quibus particularter *sub tit. de judiciis.*

Secundò, quod non sufficeret probare pecuniam erogatam esse in usus Communitatis, nisi probaretur etiam id sequutum esse, ex præordinata conventione cum creditore 6
qui verè in animo habuerit contrahendi cum Communitate, atque ad fraudandam legem, adhibere voluerit hujusmodi cautelam contrahendi cum particularibus, quorum obligationem ipse rectè scire esset simulatam, ac in effectu fidejussoriam.

Secus autem, non probata hujusmodi præordinatioue, ac mala fide, adeòut creditor, seu alter contrahens, verè, ac principaliter, in animo habuerit contrahendi cum aliquibus particularibus, cum tunc nil referat, quod isti pecunias ab eo acceptas, Communitati dederint, seu in ejus usus erogaverint, juxtà terminos textus *in l. si pecunia fœnebris, Cod. ad Vellejan.* ut pluries casus distinguendo habetur apud allegatos, præsertim apud Marin. *d. resol. 59. lib. 2.* ubi reassumit præcedenter deducta *resol. 77. lib. 1.* & de cujus textus *in leg. si fœnebris* materia agitur etiam fortè *sub titulo de alienationibus, & contractibus*, an scilicet requiratur dicta præordinatio, adeòut actus dici valeat ita in fraudem gestus, vel sufficiat sola scientia.

Et consequenter ista remanet quæstio potiùs facti, quam juris, juxtà hujusmodi quæstionem generalem naturam, certam uniformem regulam non recipiens, sed pro facti 7
qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, bonam vel respectivè malam fidem redolentibus, decidenda; Et quoniam mala fides in dubio præsumenda non est, idcircò donec illa probetur, creditor fandatam habere dicitur intentionem, ut in hac facti specie sequebatur ideòque, nisi aliæ darentur probationes justæ, ac probabiles dictæ resolutiones videbantur etiam in sensu veritatis.

Est benè verùm, quod cum ista sit spec es collusionis, de sui natura difficilis probationis, idcircò, omninò exacta, & concludens probatio non videtur desideranda, sed sufficit 8
adminiculativa, pro Judicis prudenti arbitrio; Undè propte-

ptereà sæpius in hac materia consultus respondere consuevi, nimium deferendum esse argumento à posteriori, seu observantiæ, an scilicet creditor, fructus census directè exegerit à Communitate, vel ab ipsis obligatis, ex adeò frequenti quotidiano axiomate, quod observantia est optima interpres omnium dispositionum, tam morientium quàm viventium; Quoties tamen illa sit ipsiusmet creditoris, seu principalis contrahentis, de cujus voluntatis interpretatione agatur, secus autem ubi ipso exigente fructus ab obligatis absque eo quod se ingereret cum Communitate, observantia prædicta sequeretur cum hærede, vel altò successore solutionem recipiente ab eo, qui illam offerret; Tum quia solutio etiam à tertio fieri potest; Tum etiam quia ita de facili ignarus supplantari posset cum ista cautela per obligatos affectata.

Tertiò demum, quod ubi etiam dicta probatio voluntatis contrahendi cum Communitate accederet, adeòut extra controversiam versaremur in casu pragmaticæ, adhuc
9 tamen ratione juramenti in instrumento contenti, ejusdem pragmaticæ dispositio attendenda non erat ex pariter frequenti, & quotidiana recepta conclusione, de qua pluries *sub tit. de credito*, & plenè *sub titul. de dote disc. 143.* & in hujus causæ decisionibus, præsertim prima, ubi allegantur *dec. 20. & 44.* Buratti, (in quibus agitur de alia hujus Regni pragmatica,) quod scilicet actus jurati non subjacent legibus laicalibus ex defectu potestatis in Principe laico tollendi vim juramenti, quod juxtà dispositionem textus *in cap. cum contingat. de jure jur. & capit. per vestras de donat. inter vir. & uxor.* servandum est, quoties absque æternæ salutis interitu servari potest.

Et ex quo motivo resultat, quod in curia, cives & in-
10 colæ præsertim provinciarum Aprutii, magnum, & continuum commercium, cum hac regione magis, quàm cum reliquis Regni provincii habentes, coguntur, vel ex propriis, vel ex eorum auctorum obligationibus, solvere hujusmodi debita, absque spe relevationis, dum Judices, ac Tribunalia Regni eis aures non præbent.

Reflectendo autem ad veritatem, solida quidem videbantur duo priora fundamenta (quatenus melior probatio
11 dictæ præordinationis non sequeretur); Istud verò ultimum, solùm, & de per se consideratum, præsupposito quòd eo secluso, intraret dictæ pragmaticæ dispositio, nunquam placuit, ex triplici motivo, securatione.

Primò quia licèt vera sit dicta propositio, ut actus jurati laicalibus statutis non subjaceant, quinimò neque Papalibus, non ex eo defectu potestatis, qui in laicalibus viget, sed ex illo voluntatis in dubio non præsumendæ ex deductis præsertim *d. disc. 143. de dote.*

Attamen recepta est limitatio ibidem pariter deducta, ubi indirecta juramenti enervatio ab eadem lege resultaret,
12 disponendo super facto, quo posito illud, (attento etiam jure canonico) corruit, ac operativum non est, quia nempè admat fidem scripturæ, sive inducat fictam probationem doli, seu vis, & metus.

Receptum pariter est, ut *eod. disc. 143. de dote*, & alibi pluries habetur, hanc limitationem præsumptivæ probatio-
13 nis hujusmodi operationem facere, quoties per contrariam probationem etiam adminiculativam, & ex fortioribus præsumptionibus resultantem, non constaret de contraria veritate, cui perpetuò cedit fictio, seu præsumptio.

Dicta verò præsumptio fraudis, per quam indirectè juramenti virtus, ut supra tollitur, non exigit pernecesse formalitatem verborum, quodque Statutum ita expressè disponat, quoniam si ex facti qualitate constat, statuentes hoc in animo habuisse, atque ex motivo obviandi fraudibus, ita statuisse, probabilius videtur idem fore, ex verissimo principio, pro meo judicio præ oculis in omnibus habendo, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat; Et consequenter, ubi ex facti qualitate constat ita ex præordinatione ad fraudandam legem, initum fuisse cum particularibus, istum contractum, quem vere creditor in animo habuit faciendi cum Communitate, tunc juramentum dictam operationem facere non debet.

Cum enim juramentum sit vinculum religionis, esse non
14 debeat fomentum mendacii, & simulationis, ut advertitur præsertim *sub tit. de dote disc. 159.* & in aliis pluries ibidem ad materiam confessionis dotis, quæ prohibitæ inter conjuges donationi referenda veniat, nam licet ex hodiè receptissima opinione juramentum tollat prohibitionem à jure civili manantem in donationibus inter conjuges, attamen id intelligendum venit, ubi agitur de expressa donatione, quæ sincerè sub eo titulo fiat, secus autem de illa, quæ fraudulenter sub alio simulato titulo, vel contractu sequatur.

Secundò, quia juramentum neque operativum est, ubi adversetur favori principaliter publico, quamvis exindè 15
favor privatus accessorie, seu consecutivè resultet juxtà ea, quæ desuper habentur *eodem disc. 143. de dote, & sub tit. de servit. ad materiam retractus discurs.* 80. ac alibi pluries:

Et hic videtur casus, quoniam ita per hujusmodi leges principaliter favori publico consuli dicitur, dum ipsi particulares qui se obligant pro Communitate, à frequentius contingentibus, utpotè loci potentiores, de proprio damnifi- 16
cati non remanent, sed damnum redundat infimo populo, ac pupillis, & viduis, aliisque miserabilibus, qui pro hujusmodi debitis solvendis, collectis, ac oneribus gravantur, ipsis vero in obligantibus id ad lucrum, & industriam potiùs deservire solet, Et consequenter quod dicta limitatio rectè adaptabilis esset, cum publico bono expedire videatur ita rigorosè procedi, nè de facili inveniantur pecuniam cre- 17
dentes Communitatibus; Adinstar illius rigoris, qui per legem civilem ex *Senat. cons. Macedon.* introductus est adversus credentes filiis familias, & per jus canonicum adversus credentes Abbatibus, vel procuratoribus, & ministris Ecclesiarum, & monasteriorum, cum similibus.

Et tertiò demum, ex illo motivo claudicationis, seu inæqualitatis ecclesiastico ordini præjudicialis, quod confideratur *in d. disc. 143. de dote* in proposito pragmaticæ dotium moderatoriæ, ac etiam per Rot. *dec. 348. p. 9. rec. replet.* 18
dec. 180. post Zach. *de oblig. camer.* edita in casu, de quo *sub tit. de credito*, quod scilicet iste status clericalis, seu ecclesiasticus, de sui natura favore, ac privilegio dignus, odium ac præjudicium causaret, illumque habentes deterioris faceret conditionis, quàm sint sæculares, quoniam isti, sive sint principales obligati, sive eorum hæredes, vel bonorum possessores, tuti remanent a molestiis, quas eorum competentes judices sæculares pagmaticæ observantiæ inhærentes, absque dubio non inferunt, eas verò recipiunt ecclesiastici pulsabiles n ecclesiastico foro, à quo causæ ad Curiam truhuntur, sive illi, qui Curiam sequerentur, aut aliàs in Urbe, & Statu ecclesiastico commercium habent, quo nil absurdius; Ideòque præsupposita in creditore, seu aliàs contrahente dicta mala fide, quodque secluso juramento, dictæ legis dispositio intraret, istud juramenti motivum mihi numquam placuit, quamvis juxtà insipidum currentem pragmaticum abusum, hæc reputari soleant ratiocinia ex acumine ingenii prevenientia; eo quia non adsint pariter insipidi collectores id asserentes, quasi quod, ubi isti sine aliquo discursu, vel ratiocinio id dicerent, casus legis, quo nil ineptius.

ROMANA DOMUS DE FILONARDIS PRO MONTE PIETATIS CUM MARIO DE FILONARDIS ET ALIIS.

Casus disputatus coram diversis Judicibus, ac varie resolutus.

De alienatione bonorum filii familias, quamvis minoris, vel pupilli, facta per patrem tamquam legitimum administratorem, an & quando valida, vel respectivè invalida sit.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De alia controversia in eodem casu remissivè.*
3 *Patri non quæritur ususfructus, in iis, in quibus ipse succedit cum filio.*
4 *De eadem conclusione, & quando non procedat.*
8 *Non de facili in Curia recedunt judices à firmatis in decisionibus Rotæ.*
6 *Non sunt cumulandæ specialitates.*
7 *Quomodo judex debeat reflectere ad doctrinas.*
8 *An prohibito usufructu dicatur prohibita administratio.*
9 *De ratione, cui innitantur tenentes opinionem, ut censeatur etiam prohibita administratio.*
10 *Tutor benè agit gerendo negotia pupilli sicut sua.*
11 *Pater habet majorem auctoritatem quam tutor, & alienat sine solemnitatibus.*
12 *Est item administrator, quamvis non habeat usumfructum, si filius est pupillus.*
13 *Ubi administratio competat patri jure tutoris.*

14 *De eodem.*
15 *De justa causa alienandi.*
16 *De exitu causæ.*

DISC. XXVII.

1 ENnius de Filonardis, dominus controversæ domus pro medianteˌ istam donavit Jacobo, & Petro Francisco ex fratre nepotibus, dominis, & possessoribus alterius medietatis, ac etiam Mario d. Jacobi filio; Eisdemque patri, & filio, ejus portionem utroque titulo competentem, donavit etiam dictus Petrus Franciscus, quare Jacobus, tam ex jure proprio, quàm uti pater, ac legitimus administrator Marii filii, domum prædictam vendidit Monti pietatis, cujus administratores, & prudenti motivo a Papa etiam approbato, partem solo æquarunt, ad effectum reducendi ipsius Montis domum magis tutam, ad formam insulæ à viis publicis undique circumdatam, reliquam verò partem remanentem, nè inutilis esset, cum nova fabrica, ad formam domus habitabilis reduxerunt; Quibus sequutis, tam creditores Iacobi, & Petri Francisci in judicio salviani, quàm d. Martius in judicio rei vendicationis, pro ratis ad eum jure dominii, ut supra spectantibus, litem instruxerunt coram ejusdem montis Judice particulari.

De judicio autem moto per creditores, in quo punctus
2 erat, an isti jus haberent ad novam fabricam, ac melioramenta, habetur actum in sua materia *sub tit. de credito disc.* 24.

Quatenus verò pertinet, ad istud rei vindicationis, quod jure dominii instituit Marius venditoris filius; Punctus erat, an dicta venditio, validè per patrem, etiam nomine filii, absque judicis decreto, aliisque solemnitatibus in in jure præscriptis in alienationibus bonorum minorum, præsertim non consentientium, fieri potuerit necnè.

In hoc autem, Scribentes pro actore dicebant, clarum esset defectum potestatis in Jacobo patre, vendendi bona stabilia filii infantili, vel minori ætate tunc existentis, quoniam non agebatur de bonis adventitiis filii, in quibus pater haberet usumfructum, cujus ratione dicitur legitimus administrator, dum ista domus obveniebat ex dicta donatione contemporaneè facta utrique, quo casu patri non acquiritur ususfructus, per dispositionem text. *in auth. item hæreditas C. de bonis, quæ liberis*; Quamvis etenim textus
3 hic loquatur de iis bonis, in quibus pater, ac filius æqualiter ab intestato succedunt, atque disputent DD. an extendatur ad bona, quæ ex dispositione extranei ad utrumque obveniat, attamen dicebant, magis veram esse opinionem firmantem extensionem, seu parificationem, utpotè firmatam per Rotam, præsertim in Romana legati 1. Julii 1665. coram Verospio, ex deductis *sub tit. de servit.* ad materiam hujus usufructus legalis patri competentis *disc.* 62. *ubi concord.*

Scribens ego pro Monte reo convento, etiam cum sensu veritatis per judices quoque agnitæ, ut infra; Dicebam alienationem esse validam, adeòut sine dubio, actori jus vindicandi ipsam domum non competeret solaque disputatio caderet super modo assequendi pretium, quod extabat, ut infra.

In primis enim negabam assumptum, quod patri ususfructus non acquireretur, cum probabilius, pro meo sensu,
4 in puncto juris videretur contrarium, juxta ea quæ, plures casus distinguendo, habetur deducta *eod. disc.* 62. *de serv.* ubi habentur auctoritates, quas in præsenti quoque deducebant; Et quamvis agnoscerem, in Curia nimium difficile,
5 ac penè impossibile esse judicibus; præsertim unicis, ac inferioribus, suadere, ut discedant ab ea opinione, cui assistat aliqua modernior Rotæ decisio, licèt cum auctoritatibus, & efficacissimis rationibus convincenter ostenderetur contrarium esse verius; Attamen dicebam ad id reflectendum esse, non ad effectum decidendi quæstionem, cum super hoc principalis disputatio non esset, neque iste esset causæ punctus, sed ad effectum dignoscendi eam esse quæstionem ambiguam, & disputabilem, ac propterea, quod constitui non posset certum assumptum, ex quo deindè aliud assumptum, sive consequentia deduci posset, quoniam esset
6 species cumulandi fictiones, vel specialitates, atque ex uno principio dubio, consequentiam etiam dubiam trahere contra juris principia; In hoc enim consistere debet judi-
7 cium, seu reflexio judicis, inspiciendi finem, seu effectum ad quem conclusiones, vel auctoritates deducantur.

Siquidem, etiam in iis bonis, in quibus certum sit, quod pater non habeat usumfructum, adhuc, neque absolutum,
8 sed etiam disputabile est de jure, an interdicta sit administratio, quoties prohibitio non proveniat ab homine in odium patris, sive ex culpa, vel diffidentia, quæ de eo habeatur, se ex sola dispositione legis, probabiliorque videtur contraria, ut cæteris relatis habetur apud Apont. *cons.* 19. *n.* 30. Castill. *de usufr. cap.* 3. *n.* 59. *& seqq.* Rota *dec.* 103. *in fin. p.* 6. *rec.* cum aliis in dicta sua materia *sub tit. de servit.*

Et quamvis non desint tenentes contrarium, Et quicquid sit de una vel altera opinione, ubi certum esset primum presuppositum incompetentiæ ususfructus, ex quo de consequenti resultet hęc alia incompetentia administrationis, de cujus interdictione principaliter ageretur; Attamen satis improprium erat, in utroque articulo adeo dubio & disputabili constituere certa præsupposita, ex quibus resultaret alterum deficientis potestatis annullantis actum jam initum cum bona fide, ac justa credulitate, quæ ob diversam opinionem, ut supra haberi potuit; Et sic magnus erat cumulus specialitatum, seu illationum, ac deductionum dubii ex dubio.

Præterea dicebam quod omnis difficultas desuper cessabat ex eo, quod in hac ultima quæstione, an scilicet præsupposito pro certo dicto assumpto incompetentiæ ususfructus, de consequenti resultaret incompetentia administrationis; Quoties dicta ususfructus incompetentia non provenit ab expresso judicio hominis: sed à sola dispositione legis *in dicta auth. item hæreditas*, sive ab extensione, quam DD. ei tradiderunt; DD. tenentes diversam opinionem super consequenti incompetentia administrationis resultante ab altera incompetentia ususfructus, & in ea unica ratio- 9
ne fundantur, quod ideo lex confidit de patre in administratione bonorum filii, atque ejus judicio in dubio defert, majoremque tribuit potestatem, quam præbeat tutori vel curatori, adeòut non subjaceat illis solemnitatibus, quibus isti subjacent, quia scilicèt, ipse quoque, ratione ususfructus, proprium, & commune interesse habet, ideoque, cum affectione paterna, concurrit etiam interesse proprium, ut advertunt Tiraquell. *in l. si unquam in præfat. num.* 29. *in fine versic. adde aliam rationem*, Cov. *lib.* 1. *var. c.* 8. *n.* 6. Rota apud Gregorium *decis.* 324. *n.* 6. & 7. & alii, Atque hinc trahitur consequentia, quod cessante dicto interesse, cessare debeat dicta major fiducia.

Ista verò consideratio in hac facti specie cessabat, quoniam, ubi etiam tanquam certa admitteretur incompetentia ususfructus, adhuc vigebat dicta ratio communionis proprii interesse, quinimò erat majus illud patris, ad quem pro longè majoribus portionibus domus pertinebat; Undè pro- 10
pterea, si in tutore habemus, quod ubi gerat negotia pupilli, eodem modo quo gerit propria, quia nempè negotium commune sit, pro ejus judicio est præsumptio, donec ista per contrarium probationem, vel fortiorem præsumptionem excludatur, ut apud Buratt. *dec.* 239. *num.* 5. *vers. sicut etiam dicitur.*

Multò magis idem dicendum est in patre, cui lex absque dubio majorem dedit potestatem, dum accedente justa causa, potest sine decreto judicis, aliisque solemnitatibus, alienare bona filii, quamvis pupilli, vel minoris Azzo *in summa Cod. de bonis quæ liberis n.* 11. Simoncell. *de decreto lib.* 3. *tit.* 8. *n.* 9. Rota apud Buratt. *dec.* 657. *n.* 6. *& in Romana divisionis* 15. *Junii* 1640. *coram Bichio, & dec.* 238. *n.* 10. *&* 11. *p.* 8. *rec.* & admittitur *in dec.* 413. *n.* 74. *& seqq. p.* 9. ubi latè de invalida alienatione facta per patrem ex defectu justæ causæ.

Omnisque difficultas in hac facti specie cessabat, quoniam, etiam in sensu tenentium dictam opinionem, ut ex 12
imcompetentia ususfructus, resultet etiam incompetentia administrationis, id procedit, ubi filius sit maior, qui possit per seipsum ejus bona administrare, secus autem durante ejus pupillari, seu aliàs imperfecta ætate, cum tunc verius, magisque receptum sit, ut quoties prohibitio non provenit ab homine, ex odio, vel culpa, sed solùm à subtilitate juris, pater adhuc dicatur legitimus administrator, ex iis quæ antiquioribus relatis, habentur apud Gratian. *discep.* 365. *n.* 43, *& sequent.* Castill. *de usufr. d. cap.* 3. *nu.* 59. *& sequen.* plenè Giurb. *observ.* 86. *n.* 7. Salg. *in labyrint. par.* 1. *cap.* 27. *nu.* 34. *& sequent.* Rota *d. dec.* 103. *num.* 16. *par.* 6. *recent.* & hic erat casus.

Replicabant scribentes pro actore, non negando dictam limitationem, quod cum isto casu, præsupposita incompetentia administrationis jure patriæ potestatis, ea com- 13
petere diceretur potiùs jure tutoris, vel curatoris, necessariæ essent eædem solemnitates, quæ in tutore, vel curatore desiderantur, ut apud Paschal. *de patr. potest. p.* 1. *c.* 2. *n.* 6. *& n.* 83. *cum seq.* Castill. *de usufr. d. cap.* 3. *n.* 72. *apud quos cæteri.*

Ve-

Verùm id continere videbatur æquivocum; Ista enim propositio, rectè procedit, ubi ageretur de filio emancipato,
14 seu aliàs à paterna potestate exempto, adeòut non intret illud jus, quod ratione patrię potestatis, attento jure antiquo patri competebat, ut quicquid filius acquireret, totum esset suum; Attento verò jure moderno Codicis, per quod peculiorum introducto facta est, in recompensam dictæ majoris pertinentiæ, ista prærogativa concessa est, & consequenter intrat solum terminos tutelæ, vel curæ, quæ secum trahit dictam necessitatem, atque cum hoc præsupposito procedunt antiquiores plenè deducti per Tiraquell. *in d. leg. si unquam in præf. n.* 30. *c um seq.* ac pertranseunt moderniores, ut apud Pasch. & Castill. *ubi suprà*; Sed ubi patria potestas adest, tunc qualitas minoris, vel pupillaris ætatis non facit, ut pater jure tutoris, vel curatoris verè censendus veniat, cum id contineat errorem in terminis, dum existens in aliena potestate, tutorem habere non potest; Sed id facit, ut cesset illa incompetentia administrationis, quam ex incompetentia ususfructus una opinio intrare credit in solo casu, in quo filius major possit per seipsum administrare, & non alias, quoniam dato hoc defectu administrandi per se ipsum, pernecessè alium administratorem dare oporteat, ideòque nimis incongruum, ac irrationabile est, ut spreto patre, extraneus deputandus veniat, quoties non urgeat dicta ratio odii, seu diffidentiæ habitæ per testatorem; Et circumstantia minoris, vel pupillaris ætatis, considerabilis est, ad effectum faciendi cessare limitationem, ut propterea regula generalis, quæ patri assistit, locum habeat jure paterno, non autem tutelari.

Justa verò causa erat incontrovertibilis, quoniam cum donatio haberet onus extinguendi aliqua debita utriusque donatoris, quæ erant sub gravibus usuris, vel fructibus, adeò-
15 ut juxtà frequentiorem contingentiam æs alienum vix adequans medietatem pretii domus, majorem produceret fructum passivum, quàm importaret fructus activus ipsius rei, ideòque expediens erat dictam alienationem facere, potissimè verò ex dicta consideratione, quòd longè majus erat interesse proprium ipsius patris, Ac etiam, quia dici potuit alienatio potiùs necessaria, quàm voluntaria, non solùm quia supponebatur id sequutum fuisse ex chirographo Pontificio in eodem instrumento venditionis enunciato, cujus etiam plura adminicula dabantur, cum potestate cogendi invitos ad vendendum, ad effectum reducendi domum ad formam insulæ pro majori securitate, ut supra, sed etiam quia ubi dictum chirographum cessaret, id fieri potuisset de jure juxta terminos text. *in l. si qui sepulchrum ff. de relig. & sumpt. funer.* de cujus materia habetur in hoc proposito pluries actum *sub d. tit. de servit.*

Judex primæ instantiæ, habendo alienationem pro valida immissionem actori dedit pro ejus ratis ad pretium, quod
16 existebat investitum in loca montium cum vinculis annexis, sed quoniam ultra vinculum evictionis, quod est connaturale, dicta loca montium aliud habebant vinculum multiplici usq; ad integrum valorem, ut ita consultum remaneret emptori, supplendo illam pretii partem, quæ erogata erat in extinctionem æris alieni ejusdem Jacobi patris, hinc Judex secundæ instantiæ, reformando primam sententiam, mandavit deleri hoc vinculum pro rata spectante ad portiones filiis, quę affici non potuerat pro debito patris, atque mihi quamvis scribenti in contrarium id justum, ac probabile visum est, quamvis in facto supponeretur etiam hanc difficultatem tolli ex eo, quod ipse actor haberet in manibus quędam bona ex pretio comparata, ejus virilem adequantia.

ANNOT. AD DISC. XXVII.

AD materiam ususfructus legalis patri competentis videri poterunt deducta *sub tit. de servit. disc.* 60. *& seq. & in cod. tit. disc.* 106 *&* 107.

ROMANA CENSUS PRO MARCHIONE MARTIO URSINO CUM ALBERTIS, ET GILIANIS.

Casus decisus per Rotam pro Marchione.

De Statutis 113. & 151. Urbis præscribentibus certas solemnitates in contractibus, & alienationibus bonorum stabilium minorum, an procedant in impositione census? Et quæ sint istæ solemnitates.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quæ sint solemnitates Statuti* 151.
4 *Quod census non veniat appellatione bonorum stabilium, sed constituat tertiam speciem, ideoque non veniat sub Statuto, & n.* 10.
5 *Actus necessarius pro solutione debiti paterni subsistinetur etiam sine solemnitatibus.*
6 *De probatione versionis.*
7 *Minor factus major observando contractum, illum ratificat.*
8 *De Statuto* 113. *& quod non servata ejus forma actus corruat.*
9 *An Statuta* 113. *&* 151. *procedant disjunctivè, vel conjunctivè.*
10 *Quod census impositio veniat sub Statuto* 113. *ac sub prohibitione alienationis stabilium.*
11 *Ubi minor habet curatorem generalem, sine isto non possunt deputari curatores speciales.*
12 *Citatio procuratorum facta pro uno loco, non afficit, si contractus fiat in alio loco.*
13 *Habenti curatorem generalem non datur alius curator specialis absque necessitate.*
14 *Et absentia curatoris ad tempus non attenditur, si necessitas non urget.*
15 *In prohibitis non defertur confessioni.*
16 *Quando procedi possit ad alienationem bonorum pupilli, vel minoris.*
17 *Ubi actus est nullus, tenetur solum minor de vero verso.*
18 *Ratificatio non inducitur sine explicita scientia facti, & juris.*
19 *An in terminis Statuti* 151. *requiratur causa justa utilitatis, vel necessitatis.*
20 *Ea tamen requiritur in terminis Statuti* 113.
21 *Curator specialis deputari solitus in actu contrahendi ad nil prodest.*
22 *De invalida obligatione mulieris in eodem contractu cum minore.*
23 *An existente invalida obligatione principalis, corruat illa fidejussoris, vel correi.*

DISC. XXVIII.

SUb assertione necessitatis solvendi mutuum præcedenter contractum cum Alano de Albertis, ad effectum 1
solvendi quoddam legatum paternum, Maerbales de Ursinis minor, sub fidejussione Portiæ Vitelliæ matris, ac ejusdem Alani de anno 1600. census imposuit ad favorem Federici Caballi, cujus hæredibus, seu alias causam ab eo habentibus pulsantibus Marchionem Martium filium, & hæredem coram A.C. ab isto prodiit sententia absolutoria, dicti census nullitatem à reo convento oppositam; Introductaque per appellationem causa in Rota coram Bourlemont, atque dato dubio, an census esset validus, sub die
15. Maii 1662. ad favorem ejusdem Marchionis negativa 2
prodiit resolutio, cui actores acquieverunt.

In his autem disputationibus in utroque Tribunali habitis præsertim in unica Rotali, tria erant fundamenta Scribentium pro actoribus pro elidenda objecta nullitate, qua cessante, fundata remanebat eorum intentio, stante publico instrumento faciente probationem probatam; Primo quod satisfactum esset solemnitatibus, quæ in contracti- 3
bus minorum præscribuntur per Statutum 151. consistentibus in decreto Judicis, & in interventu duorum proximiorum, vel in eorum defectum, curatoris ab eodem Judice deputati, non attenta alia solemnitate requisita per aliud Statutum 113. alterius curatoris, cum illud loquatur de alienatione bonorum stabilium, sub quorum nomine in Statutis à jure exorbitantibus strictè intelligendis ad limites verborum, non veniunt impositiones censuum, multas desuper cumulando auctoritates collectas per Cenc. *de cens. fib. quæst.* 30. *numer.* 1. *& seqq.* firmantes quod census non dicuntur bona stabilia, neque loco circumscribuntur, aut eorum nomine veniunt, sed potiùs sub nomine jurium, & actionum, sive tertiam speciem constituunt.

Secundò, quod ubi etiam nullæ adhibitę fuissent solemnitates, adhuc actus subsistineri deberet, utpotè necessarius magis, quàm voluntarius, pro satisfaciendo paterno legato 4
firmatis *decis.* 34. *num.* 5. post Cenc. *de cens. decis.* 776. *n.* 2. *&* 3. *part.* 2. *recent.* Duran. *decis.* 26. *decis.* 39. *n.* 8. *&* 9. & in aliis, quæ cumulabantur; Plura etiam deducendo circa ea,

quæ

quæ habemus super præsumptiva probatione versionis in
6 causam expressam ob necessitatem solvendi, ac subsequu-
tam de recenti solutionem, non constito quod solvens ha-
beret aliundè promptas pecunias ex deductis apud Surd. *dec.*
55. *n.* 7. & *seq.* Franch. *dec.* 97. ubi Add. Rot. *dec.* 481. *n.* 5. &
seq. p. 5. *rec.* cum aliis per Amat. *resol.* 3. *n.* 59. & pluries *sub*
tit. de credito, potissimè stante decreto Judicis, pro quo est
præsumptio, ut advertitur *d. dec.* 481. *p.* 5. *rec.*

Et tertio demum ob ratificationem ejusdem Maerbalis
facti majoris resultantem à continuata fructuum solutione
de plurium annorum spatium, ex deduct. *dec.* 11. *n.* 8. *p.* 5. *rec.*
7 *dec.* 81. *n.* 3. & *seq. p.* 8. apud Otthob. *dec.* 126. *n.* 10. & *pluries*.
His tamen non obstantibus; Scribens ego pro Martio reo
convento, etiam cum sensu veritatis, dicebam pro invali-
ditate respondendum esse, unde propterea resolutio, justa,
benèque fundata visa est, stante clara dispositione Statuti
13. ut in alienationibus faciendis per minores, ultra inter-
8 ventum, ac auctoritatem ordinarii curatoris, ac etiam il-
lum judicis, intervenire quoque debeant proximiores, vel
eorum loco alter curator ad formam alterius Statuti 152.
unde cum hæc servata non essent ob interventum unius cu-
ratoris tantùm tunc ad illum actum deputati, plana rema-
nebat nullitas ob decretum irritans in utroque Statuto con-
tentum, ut *dec.* 14. & 25. *p.* 5. *rec. dec.* 190. *p.* 8. & *sæpius*.

Et quamvis apud nostros majores controversum sit, an
hæc duo Statuta disjunctivè attendenda veniant, adeòut
servando solemnitates in uno præscriptas, non oporteat
servare alias, Attamen hodie extra controversiam rece-
ptum est, ut ea attendi debeant conjunctivè, eorumque
9 combinationi locum esse debeat, ubi agatur de alienatione
stabilium, de quo loquitur Statutum 113. remanente solo
Statuto 151. in aliis contractibus, qui formalem alienatio-
nem non importent, ut *dec.* 153. *n.* 13. *p.* 1. *rec. dict. dec.* 25. *n.*
fin. p. 3. & in hujus causæ decisione, ac frequenter; Atque
supponebatur per Scribentes in contrarium, dum rectè con-
scii, quod hodie sit conclusio plana, super hoc non insiste-
bant, sed conabantur evitare dictum Statutum 113. ex eo
quod loquens de bonis stabilibus, non caperet impositio-
nem censuum, ut supra.

Verùm hoc erat refugium satis debile, quoniam ut plu-
ries advertitur supra *disc.* 1. & in aliis occasione al enatio-
10 nis bonorum Ecclesiæ, & *disc. proximè præcedentibus*, oc-
casione alienationis bonorum Communitatum, satis rece-
ptum est, censuum impositionem venire sub prohibita alie-
natione stabilium, Atque ultra ibi deducta, in his specia-
libus terminis firmatis *dec.* 33. apud Martin. Andr. *n.* 1. & 2.
repetit. dec. 668. *par.* 2. *rec. d. dec.* 190. *in principio part.* 8. apud
Merlin. *dec.* 540. *num.* 1. & *per totum*, cum aliis in hujus cau-
sæ decisione.

Clarius verò quia, ubi etiam ad formam dicti Statuti 113.
ita combinati, cum altero 151. duo curatores à Judice, tunc
11 ad illum actum deputari fuisset, adhuc id non suffra gere-
tur, dum jam minor habebat curatores ordinarios à testa-
tore deputatos, atque à Judice confirmatos, ideòque sa-
tisfactum non remanebat Statuto, quod exigit interven-
tum curatoris ordinarii, & alterius accidentalis tunc depu-
tandi per Judicem in locum proximiorum; Nil obstante
quod affectatè sumpta esset occasio absentiæ unius ex dictis
curatoribus, quodque alter citatus comparere neglexerit;
Tum quia difficultas removebatur ex facto, quòd scilicet
non benè probaretur præsupposita absentia unius, neque
benè concepta esset citatio alterius, dum contractus initus
12 fuit in loco diverso ab eo, qui in citatione enunciabatur,
quod sufficit, ut ille dici non possit contumax, ex plenè
deductis per Ubert. *de cit. tom.* 2. *c.* 9. *n.* 34. & *seq.* & *in decision.*

Tum clarius, quoniam hujusmodi forma procedendi, lo-
cum habet in ea deputatione curatoris, quæ fiat in locum
13 proximiorum, nullum officium necessarium habentium su-
per minoris defensione; Secus autem ubi agitur de curatore
ordinario, an generali, testamentario, vel dativo, quoniam
habenti curatorem generalem, alter curator non deputatur
specialis, nisi eo remoto, vel, ubi causa cognita, ratio legi-
timi impedimenti ita exigat ad text. *in l. curatorem C. qui da-*
re tut. vel curator. & l. cum jure habenti Cod. qui petant tutores
cum concordantibus relatis apud Caval. *dec.* 257. *n.* 6. reperit
dec. 49. post Picum *ad. Statuta dec.* 114. *n.* 8. *p.* 7. *rec.* & *in aliis*.

Et quamvis benè justificata fuisset præsupposita dictorum
curatorum absentia ab breve tempus, non exindè licitum
14 reddebatur ad hujusmodi deputationem devenire, cum age-
retur de actu voluntario, quem nulla necessitas cogebat,
magis una die, quàm altera gerere, dum nullum in mora
periculum urgebat, atque alias innanes remanerent tot so-
lemnitates, ac diligentiæ per legem, in tutorum, & cu-
ratorum deputationibus, vel confirmationibus desideratæ,
si ita de facili eludi possent, quodque ignaro curatore ordi-
nario, ita minor, mediante hujusmodi speciali disputa-
tione personæ talis qualis, & adventitiæ, (ut stylus docet)
absque aliquà inquisitione, vel causæ cognitione, aliena-
tione, aliosque præjudiciales contractus facere posset.

Quò verò ad alterum fundamentum necessitatis pro dis-
solvendo debito legitimè contracto, ex causa legati pater-
ni; Ultrà motiva in facto consistentia, quod scilicet de dicta
præsupposita solutione, ac versione non constaret alias, quàm
per confessionem in ipsamet impositione census, in prohibi-
tis absque dubio non attendendam, ex receptissima, ho-
dieque plana propositione, quod prohibitus contrahere,
vel alienare, est etiam prohibitus confiteri, ne indirectè
sequatur, quod directè prohibitum est, atque ita lex ver-
bis potiùs, quàm rebus imposita remaneat, ut alibi freq-
uenter advertitur.

Adhuc in puncto juris advertebam id non suffragari, et-
iam si dicta solutio benè probata esset, quoniam ut habe-
mus ad materiam textus *in leg. lex quæ tutores, Cod. de admi-*
nistr. tutor. non ex eo, quod urgeat debitum à pupillo, vel
minores solvendum, ergo sequitur, quod licita sit aliena-
16 tio, præsertim bonorum stabilium, vel æquipollentium,
cum ista non permittatur, nisi in subsidium, & quando
alias consuli non potest cum pecunia, vel mobilibus, seu
fructibus, ac propterea ad hunc effectum lex induxit solem-
nitates, præsertim interventum judicis, & curatoris,
ut ita benè examinarentur.

Et consequenter ubi etiam de dicta versione constaret,
competeret quidem ei, qui pecuniam dedit, æquitativa
17 actio de in rem verso ad limites utilitatis, seu versionis,
ne aliàs daretur locupletatio minoris de alieno, cum lex
provideat, ut pupilli, ac minores non decipiantur, neque
damnificentur de proprio, non autem ut alios decipiant,
ac de alieno locupletentur, ut etiam de Ecclesia advertitur
supra *disc.* 1. & *in aliis*, non tamen exindè inferri poterat ad
validitatem alienationis.

Demum quoad ultimum motivum ratificationis deductæ
ex subsequta observantia per solutionem fructuum, facilis
erat responsio, cum hodie nimis plana, receptaque conclu-
sio sit, ut ad hujusmodi ratificationem inducendam, ne-
cessaria sit scientia certa, & positiva nullitatis, tam facti,
quàm juris, adeòut minor factus major, de his rectè con-
18 scius voluerit tanquam ex integro debitum agnoscere, se-
cus autem, ubi fructus solvere potuerint ex falso præsup-
posito, quia se ad id obligatum crediderit, ex iis, quæ aliis
relatis plenè habentur Rojas *dec.* 82. *num.* 8. & 9. apud Cels.
decis. 149. *numer.* 13. apud Otthobon. *dec.* 204. *n.* 5. *dec.* 80.
numer. 3. & *seq. part.* 10. *recent.* & in hujus causæ decisio-
ne, ac passim.

Eoque magis istius contractus nullitas erat manifesta,
non constito de necessitate, ac versione, ut supra, quo-
niam attento solo Statuto 151. quamvis juxta opinionem,
19 cum qua hodie vivitur, ultra solemnitates, concurrere
quoque debeat causa juxta, quæ sit vera, tam de jure,
quam de facto, ut nempe sit utilius, vel saltem non dam-
nosa, ex iis, quæ habentur *disc. proximè sequent.* Attamen,
ut ibidem advertitur, poc est sub quæstione, cum Statutum
ita explicitè non disponat, atque ut aliis *disc. sequentibus*
advertitur, juxta causa verificari potest, absque actuali u-
tilitate, vel præcisa necessitate, ex causa scilicet congruen-
tiæ, vel naturalis impulsus.

Secus autem, ubi agitur de formalibus alienationibus
faciendis per minores, quoniam dictum alterum Statutum
113. ita innovando, seu clarius explicando juris commu-
20 nis dispositionem, expressè, ac præcisè exigit utilitatem
evidentem; Et consequenter eo magis præcedere debebat
inquisitio facienda per ordinarium curatorem generalem,
benè informatum de statu patrimonii, & an aliundè ex fru-
ctibus, vel mobilibus dictum debitum ex causa legati pa-
terni extingui potuerit, absque necessitate deveniendi ad di-
ctam alienationem, & de quo nullam informationem ha-
bere poterat ille particularis adventitius curator, pro qua-
dam cæremonia, seu formalitate deputatus, & qui reve-
21 ra ad nihil deservit, ut quotidiana praxis docet; Unde
meritò, ac prudenter Tribunalia, neglectis materialibus
solemnitatibus quamvis punctualiter, & diligentissimè ad-
hibitis, principaliter ad causam respiciunt.

Actum quodque fuit de validitate obligationis Portię ma-
tris pro filio fidejubentis; Sed nimium facile fuit hunc pun-
ctus superare, cum istius respectu deficerent etiam solemni-
22 tates materiales, dum unicus curator deputatus minori, non
poterat hanc aliam personam auctorizare; Et ulterius, cor-
ruente contractu in filio, qui erat principalis, corruebat
etiam obligatio matris, Non quidem ex regula, ut corruen-
te obligatione principali, corruat etiam accessoria fidejusso-
ris, cum in non prohibitis ista conclusio de facto inutilis
reddita videatur, ob praxim, ut fidejussores se obligent
tanquam principales correos, ac principaliter, & insoli-
dum, quo casu ea non procedit, ex deductis apud Greg.
& adden. *dec.* 321. 560. & 564. *dec.* 510. *par.* 5. *rec.* ubi Ad-
23 den. plura cumulant, & pluries *sub tit. de cred.* Sed ex fal-
sa causa, sive ex ejus deficientia, cum posita invalida o-
bligatione minoris, qui erat principalis contrahens, ita
mulieri consultum non remaneret super ejus indemnitate,
seu relevatione, & consequenter obligatio remanebat sine
causa, vel ista erat evidenter læsiva, & damnosa.

ANNOT. AD DISC. XXVIII. & seqq. usque ad Disc. XXXV. inclusivè.

AGitur in his discursibus de materia alienationum, &
contractuum minorum, & mulierum non servatis so-
lemnitatibus Statutariis, de qua actum quoque habetur in
hoc cod. tit. disc. 55. 57. *cum plurib. seqq.* qui benè conferunt
ad discursus jam editos. Etenim ad *disc.* 29. videri pote-
runt deducta *disc.* 55. & 61. Ad *disc.* 30. circa qualitatem
doctoratus, ea quæ habentur *disc.* 63. Ad *disc.* 28. 31. & in
aliis super solemnitatibus Statuti Urbis 113. & 251. vide-
batur deducta *disc.* 65. & 66. Atque ad *disc.* 34. conferunt
deducta *disc.* 58.

PARMEN. OBLIGATIONIS PRO MARCHIONISSIS DE SCUFFONIS CUM BERNARDO DE CORRADIS.

Responsum extra Curiam.

An valeat contractus gestus per illum, qui ex Statuto
sit major in propria patria, extra territorium, &
in loco ubi sit minor; Vel è contra, si in patria sit
minor, & in loco contractus major.
Et an minor cum juramento asserens se majorem,
valide obligetur, necne.

SUMMARIUM.

1 *DE Statutis Parmæ, & status Pallavicini circa mi-*
nores.
2 *Facti series.*
3 *De materia Statutorum, & an ligent subditos extra ter-*
ritorium remissivè.
4 *Ubi agitur de forma, vel solemnitate contractus, atten-*
ditur ejus locus.
5 *Distinguuntur casus de minore contrahente extra pro-*
priam patriam, & de statutis reducentibus minorem ætatem.
6 *Minor, qui contrahat extra patriam in loco, in quo esset*
major adhuc malè contrahit.
7 *E contrario, qui est major in patria, validè contrahit*
in loco, in quo esset minor.
8 *Idem in actis judicialibus.*
9 *De ratione conclusionum, de quibus n.* 6. & *seqq.*
10 *Reduplicatio personarum formalium in una materiali non*
intrat in iis, quæ pendent ab intellectu, vel animo.
11 *De ratione, ob quam jura municipalia abbreviarunt mi-*
norem ætatem.
12 *De distinctione casuum circa conclusionem, quod minori*
habilitato ad contrahendum competit restitutio in inte-
grum ratione læsionis.
13 *Procedit ubi actus valeat ratione juramenti.*
14 *De ratione, ob quam ratione læsionis minor est restituen-*
dus.
15 *Idem de habilitatione resultante à venia ætatis.*
16 *De distinctione circa juramentum promissorium, & as-*
sertorium.
17 *Majores cautelæ augent suspicionem conventionis.*
18 *De alia habilitatione minoris dispensativa.*
19 *Et de alia generali, qua statutum generaliter abbre-*
viat ætatem.
20 *Quando statutum disponat juxta hunc ultimum mo-*
dum.
21 *Et de ratione, ac de origine status Pallavicini.*
22 *An & quando minor cum juramento asserens se majo-*
rem sibi præjudicet.
23 *Distinguuntur plures casus.*
24 *Ubi creditor est doli particeps, assertio non suffra-*
gatur.
25 *Quid in dubio, & ubi de nullius dolo constat.*
26 *Ubi minor est in dolo, cujus creditor non sit particeps, sed*
in bona fide, minori non succurritur.
27 *De applicatione ad dictas distinctiones.*
28 *De circumstantiis arguentibus dolum in creditore.*
29 & 30. *Quomodo hæc materia regulanda, & decidenda sit.*

DISC. XXIX.

DIsponente Statuto Status Pallavicini, ut minores
20. annorum, non nisi cum certis solemnitatibus
contrahere possint, majores autem 20. annorum, pos-
sint liberè, & absolutè contrahere, ac valeant eorum
contractus, & distractus, non obstante aliqua juris com-
munis dispositione; Civitatis autem Parmæ Statuto,
absque certis solemnitatibus inhabilitante minores 25. an-
norum; Cum Bernardus de Corradis, origine, ac domi-
cilio subditus dicti Status Pallavicini, in ætate 23. anno-
rum constitutus, se in solidum in dicta Civitate Parmæ 2
obligasset cum Jacobo principali conductore aliquorum bo-
norum pro solutione pensionis, pro cujus residuali suma
libr. 11. m. dicto Jacobo defecto, conveniebatur per
Marchionissas de Scuffonis, de duobus ipse excipiebat;
Primò de invaliditate obligationis, ob non servatas so-
lemnitates dicti Statuti Parmen. tanquam loci contractus;
Et secundò, quod ubi attendendum esset Statutum ejus
patriæ habilitativum ad contrahendum, adhuc tamen,
cum ageretur de obligatione fidejussoria, sibi concedenda
esset restitutio in integrum; Quare desuper ex parte ac-
tricum consultus.

Respondi, neutram exceptionem subsistere; Quate-
nus enim pertinet ad primam, quidquid nostri majores,
pro ingeniorum veritate, sive pro causarum opportunita-
te, nil in parte pacificum relinquendo, variaverunt,
circa minores, vel alios inhabiles extra propriam patriam 3
contrahentes in loco diverso, ubi sint forenses, an scili-
cet leges loci contractus, vel illæ loci personæ attendi de-
beant, & quando statuta obligent forenses, necnè, su-
per quo aliqua insinuantur *sub tit. de dote disc.* 143. occasio-
ne agendi de statutis dotium moderatoriis; Ac etiam de
operatione statutorum extra territorium, vel respectivè
in territorio contra forenses, vel non subditos *sub titul.*
de success. ubi occasione statutorum excludentium fœminas
propter masculos, vel cognatos propter agnatos, major,
ac particularis est statutorum sedes; Omissisque aliis ca-
sibus ad rem non facientibus, & præsertim ubi agatur
de solemnitatibus respicientibus formam, vel solemnita-
tem actus, quo casu, ut patet ex infra allegandis ex re- 4
cepta distinctione Bartoli *in l. cunctos populos Cod. de Summ.*
Trinit. &c. locus contractus attendi debet etiam respectu
forensium.

In præcisis terminis minoris, absque certa solemnitate
inhabilitati ad contrahendum, & sic in casu alterius par-
tis distinctionis Bartoli super habilitatione personæ, duo
casus desuper cadere solent sub quæstione, Unus est fre- 5
quentior, quando ille, qui in propria patria esset minor,
ac inhabilitatus, contraheret extra territorium in loco,
in quo esset major, & habilis, puta, quia civis Perusi-
nus, minor annis 25. ad quos minor ætas ad limites juris
communis protrahitur, major autem annis 20. contrahe-
ret in Urbe, ubi ex statuto 47. lib. 1. majores hac ætate
in omnibus habentur pro majoribus, ac habilibus; Sive
quod civis Romanus minor annis 20. sed major annis 18.
contraheret in Regno Neapolitano, ubi ex Constitutio-
ne Regni incipien. *Minorum jura*, & clarius per *pragmati-*
cam primam de minoribus, omnem quæstionem dirimen-
tem, majores 18. annis reputantur in omnibus pro majo-
ribus; Alter verò casus est conversus, hujus controver-
siæ præcisus, ubi scilicet in patria esset major, & habilis,
atque contraheret in alio loco ubi esset minor, quia nem-
pè Romanus major annis 20. sed minor 25. contraheret in
Civitate Perusiæ, vel Neapolitanus major 18. sed minor
20. contraheret in Urbe, cum similibus.

In primo casu quidquid alias variatum fuerit, Rota
tamquam meliorem firmavit opinionem, ut attendi de-
beat statutum personæ quamvis contrahentis extra territo-
rium,

rium, ut *decis.*260. *num.* 6. & *decis.* 294. *num.* 3. *cum seqq.*
6 & *num.*8. *par.*6. *rec.* eademque quæstio acrius reassumpta fuit in Romana, seu Perusina census 12. Decembris 1644. & 23. Junii 1645. coram Bichio, & quarum prima est etiam repetita *decis.*162. *num.* 6. post Zacch. *de obligat.* in quibus, præsertim in secunda, respondetur *ad decis.* 62. 81. & 110. *par.*7. *rec.* quæ sunt revocatoriæ dictarum *decis.* 260. & 294. *part.* 6. ut revocatio procedat ex præcepto ejusdem debitoris, qui moriens mandavit ea debita solvi, non autem ex causa validitatis actus, cum in hac parte recessum non sit, atque cum hac opinione tamquam hodie recepta, proceditur *dec.* 126. *num.* 54. & *seq. par.*12. & *in aliis*.

In altero autem casu converso, ut idem dicendum sit,
7 antiquioribus relatis firmatur per eamdem Rot. apud Seraph. *dec.* 746. *num.* 3. & 4. quæ reputatur in materia magistralis, ac etiam in Romana societatis officii 27. Maii 1623. coram Remboldo, cujus particula registrata est inter *dec.* Billott *dec.* 12. ubi de cive Romano majore 20. & minore 25. annorum, contrahente in hac Civitate Parmæ, eademque decisio refertur per Baron. *de effect. minor. ætat. circa contract. in prælud. num.* 7. ac etiam sequendo dictam decisionem Seraph. firmat Fenzon. *ad dict. Statutum* 47. *Urbis num.*12. atque occasione actorum judicialium firmavit etiam Rota antiqua apud Puteum *decis.* 365. *lib.* 3. ubi de Neapolitano majore 18. annorum, sed minore 20. deputante procuratorem ad lites in Urbe, ut actus sit validus, quod etiam in eisdem terminis recentiori tempore firmatum fuit in Reatina Castrorum 21. Junii 1666. coram Bourlemont; Non reassumendo super utroque casu
8 auctoritates idem veriùs firmantes, utpotè in dictis decisionibus deductis, quia genium, ac stylus, ineptum transcriptoris, vel collectoris munus nimium prohibent.

Cumque genium, ac stylus in iis, quæ per casum legis, vel canonis expressè determinata non sunt, nimium abhorrent immorari in solo dicto DD. non expendendo ejus rationes, ac fundamenta, istaque investigando;
9 Hinc proindè dicebam quoque hanc opinionem utroque casu supra à Rota receptam, probabiliorem, meliusque fundatam esse ex duabus solidis, & convincentibus rationibus apud me principaliter in omni materia attendendis; Primò scilicet ratione individuitatis personæ, ejusque status, qui non potest pro locorum diversitate esse diversus; quoque in uno loco reputetur perfecti judicii, & habilis ad contrahendum, in altero autem judicii imperfecti; Licet enim passim in jure detur multiplicitas personarum formalium in eadem persona materiali pro respectuum di-
10 versitate; Attamen id non admittitur in iis, quæ pendent ab animo, vel intellectu tamquam individuo juxta *gloss. in cap. si quis justè*, §. *porrò de elect. in* 6. Innoc. & Butr. *in cap. super inquisitione numer.* 17. *de elect.* benè Rota *dec.*78. *n.*4. *in fine par.*1. *rec.* in Macerat. redditionis rationis 20. Februarii 1647. coram Meltio.

Et secundò quia, ut communiter advertunt DD. Regnicolæ ad materiam dictæ Constitutionis, quæ utriusque Siciliæ Regnis communis est, incipientis Minorum jura, per quam major ætas constituitur in anno 18. per
11 alios ad materiam dicti Statuti Urbis in similibus, Ideò statuentes eam ætatem, quæ de jure communi est 25. annorum, ad minorem metam reduxerunt, quia ex loci qualitate, ac moribus, incolæ, utpotè sagaciores, in ea ætate, perfecti judicii ex frequentiori usu reputantur, ac habiles ad contrahendum, Et consequenter, legaliter, ac naturaliter implicat, dare ejusdem intellectus, vel judicii diversitatem ex diversitate locorum, vel territorii, quodque ille, qui in propria patria jam constitutus est in statu perfecti judicii, ac reputatus habilis ad liberè contrahendum, in adjacenti loco diversi territorii efficiatur hebetioris, ac imperfecti judicii; Cumque agatur de firmando statum personæ, utique id pertinet ad illum, cui ipsa persona subdita est, & in cujus territorio habet originem, ac domicilium, istæque rationes utpotè concludentissimæ, omnem adimunt ansam dubitandi.

Quo verò ad alteram exceptionem restitutionis in integrum ratione læsionis, quæ actui fidejussionis connatura-
12 lis esse videtur; Astvertebam, (quidquid aliqui pro consueto Collectorum inepto stylo, casus confundendo, involverint,) quod ista quæstio dicenda magis est facti, & applicationis, quam juris, cujus theorica videtur certa, sequendo distinctionem ingeniosè de more traditam per Bald. *in Authentica si captivi*, *Cod. de Episcop. & Cleric. num.*4. quam benè reassumit Jo. Andr. de Gregor. *allegat.* 16. *ex num.*6. à qua totum desumpsit Paschald. *de patr. potest part.* 2. *cap.*1. *num.*205. cum quo pertranseunt alii moderni Collectores præsertim Baron. *de effect. minor. ætat. circa judic. in prælud. num.* 104. & 111. *cum seqq.* & de eadem distinctione, (quamvis non ita explicata,) benè habetur per Rotam apud Buratt. *decis.* 230. *num.* 3. & 4. ac etiam apud Fenzon. *ad dictum Statut.* 47. *Urbis num.* 5. & 6. Quod scilicet tripliciter ille, qui de jure communi sit minor, habilis ad contrahendum reputari valeat, ejusque contractus subsistineantur.

Primò scilicet in aliquo casu particulari ratione accidentalis, ac particularis circumstantiæ, puta, ratione 13
juramenti juxta terminos textus *in Authentica Sacramenta Puberum Cod. si adversf. vendit.* & *cap. cum contingat de jurejur.* & *cap. per vestras de donat. inter vir.* & *uxor.* ex insinuatis *dict. disc.*143. *de dote*, & in aliis, hoc eodem titulo super actu jurato non cadente sub statutis, & legibus laicalibus, quoties ratio publici boni principaliter, vel alter defectus naturalis à lege laicali subintellectus à jurisjurandi religione non excuset; Isto enim casu, concurrente
læsione, præsertim notabili, receptum, ac probabile 14
est, restitutionis in integrum præsidium denegandum non esse, ex ea probabili ratione, quod notabilis læsio juncta cum minori ætate, dolum redolere videtur, qui etiam in majoribus nullitatem causat, atque juramenti vires cessare facit, tamquam ex defectu naturali consensus, multò magis in minoribus, qui magis dolo, ac seductioni subjecti sunt, adeòut quoad minores necessaria non videatur læsio enormissima, quæ in majoribus ad hunc effectum desideratur, quoniam aliàs nulla differentia esset inter majores, & minores, ideòque id regulandum videtur prudenti arbitrio, pro facti qualitate, & circumstantiis, ex quibus deduci possit ea doli præsumptio, quam lex etiam in majoribus ratione enormissimæ læsionis inducit.

Idemque dicendum videtur in illa accidentali habilitatione particulari, vel generali, quæ resultet à concessio- 15
ne veniæ ætatis, de qua habetur *sub tit. de donationibus disc.*2. quoniam ex eadem calliditate alterius contrahentis, ista cautela affectari potuit, eo modo, quo advertitur infra in materia minoris cum juramento se asserentis majorem, quoniam licèt Scribentes, inhærendo leguleicis rigoribus, distinguere soleant, an unicum accedat juramentum assertorium tantum, vel promissorium tantum 16
respectivè, sivè duplex, assertorium scilicet, & promissorium, Attamen id intelligendum venit pro facti qualitate, dum ex eadem facilitate, cum qua inducitur quis contrahendum, inducitur etiam ad præstandum utrumque juramentum, quod hodiè, (ut pluries hoc titulo, & alibi advertitur,) redactum videtur ad quandam formalitatem de stylo Notariorum, ut desuper plura cumulant moderni Collectores Giurb. *observ.* 92. & Baron. *dicto tract. de effect. minor. ætat. effect.* 1. *à num.*119. *ad.* 243. (ubi pro elaborato quidem, sed aliqualiter indigesto collectorio stylo, ad plura digreditur, nil mature firmando.)

Principaliter siquidem reflectendum est ad contrahendi causam, seu effectum exinde resultantem atque ad substantiam veritatis, neglectis hujusmodi formalitatibus, & cautelis, quæ ubi magis sint majores, ac exactè, & diligenter adhibitæ, eo magis suspicionem fraudis, & cir- 17
cumventionis redolent, ut pluries advertitur in aliis *hoc eodem titul.* ac etiam sub *tit. de usuris*, & *alibi*, adeo ut neque de decreto judicis, aliisque solemnitatibus ratio habeatur.

Alter casus est, ubi minoris actus reputari solet validus per dispensativam habilitationem, quæ à Statuto resultet 18
juxta unam opinionem per argumentum à contrario sensu, quia scilicet usque ad certam ætatem, solemnitatum præcisam observantiam præscribat, ultra non progrediendo, Seu alias dispensativa habilitatio accedat, & tunc pariter procedit idem, quod in casu præcedenti, ut non exindè beneficium restitutionis in integrum ex capite læsionis denegandum videatur.

Tertius autem est; ubi per statuta, vel leges particulares, ætas 25. annorum à jure communi præscripta, reduci solet ad minorem juxta supra exemplificatos casus Ur- 19
bis, ac Regni Neapolitani, cum similibus, adeòut, id, quod jus commune statuit in excedentibus ætatem 25. annorum, jus municipale, inducant in iis, qui excedant ætatem breviorem, ab eo præscriptam, & tunc omninò verius est, ex supra allegatis, quod aliud restitutionis remedium non intret, nisi illud ex clausula generali *si qua mihi*, quod majoribus conceditur.

Appli-

Applicando autem ad rem, mihi omninò veriùs videbatur, ut versaremur in hoc ultimo casu, non quidem
20 simplicis dispensationis, vel habilitationis, sed regulæ generalis ob illa effrenata verba, *quod major* 20. *annorum liberè*, & *absolutè contrahere*, *vel distrahere valeat*, & quod magis, stante derogatione dispositioni juris communis, adeò ut statuentes in hoc disponere voluerint idem, quod in Urbe dispositum est per dictum Statutum 47.

Ad quod comprobandum advertebam ad hujus Status Pallavicini naturam, vel seriem recensitam *sub titul. de*
21 *feud. disc.* 74. qua attenta, cum istud statutum probabiliter prodierit de tempore, quo Status non subjacebat Ducatibus Parmæ, vel Placentiæ, sed habebatur directè, ac immediatè à Papa, ita voluerit ejus Dominus se conformem reddere dicto Statuto Urbis, atque demandare, quod ejus subditi viverent juxta mores Civitatis dominantis.

In proposito autem contractuum, & obligationum Minorum in una Romana Societatis officii, pro Francisco Gonnello disputata coram A. C. Cum dictus Franciscus verè minor, cum juramento se asseruisset majorem, atque ad prædictæ assertionis comprobationem exhuibuisset
22 fidem baptismatis extractam à libro parochi, quam compertum est congruere alteri ejus fratri ejusdem nominis in infantia defuncto, orta est quæstio, an dicto minori obstarent disposita per text. *in l.* 1. & *tot. tit. Cod. si minor. se major. dixerit*; Sive per terminos text. *in l. qui enim*, *ff. de dolo* cum concordantibus relatis per Cyriac. *contr.* 387. Grat. *decis. March.* 234. *num.*15. *cum seqq.* Giurb. *dicta observ.* 92. *num.*7. Baron. *dicto effect.* 1. *n.* 123. *cum seqq.* ubi latè de hac materia minoris se asserentis majorem.

23 In hoc autem puncto plures casus per DD. distinguuntur, Primò scilicet, ubi appareat de dolo vero ex parte creditoris, vel alterius contrahentis; Secundò ubi accedat etiam dolus, & mendacium ex parte debitoris, cujus sit etiam creditor, particeps, quia nempè contrariæ veritatis conscius; Tertiò ubi creditor sit in bona fine, atque minoris ætatis verisimiliter ignarus, minor autem, non ex dolo, & fraude, sed ex errore talem assertionem fecerit; Quartò, ubi præsupposita eadem bona fide in creditore, constet de dolo, & fraude ex parte ipsius minoris; Et quintò demum, ubi de his non constet, adeòut versemur in ambiguo.

Primi quatuor casus (posito facto,) in puncto juris videntur plani, cum major involutio apud Scribentes sit, ubi accedat juramentum ex collectis apud supra allegatos;
24 Ubi enim dolus est ex sola parte creditoris, tunc indubitatum est nullam actionem competere; Idemque, ubi ex parte utriusque, ob mutuam delicti compensationem, ob quam firma remanet dispositio juris super restitutione in integrum minori competente, Illaque etiam competit ubi errore id sequatur; Ac etiam probabilius in quinto casu, quod scilicet versemur in ambiguo.

Quamvis enim *glos. in l.*3. *C. si minor. se majorem dixerit*, velit, ut in dubio contra minorem responderi debeat; Ea tamen reprobata, contrarium tenet Petrus de Bulla per-
25 tica ibidem, cujus opinionem uti veriorem sequitur Bartol. *in eadem l.* 3. *num.* 1. & sequuntur Salicet. *ibidem in fine*, Castrens. *in l.* 1. *eodem tit.* & cæteri communiter relati per Giurb. & Baron. & alios supra allegatos; Ex ea probabili, & convincenti ratione, quod deficta in dubio non præsumuntur, sed probari debent ad vulgarem regulam text. *in l. dolum Cod. de dolo cum notis concord.* cum sit axioma nimium frequens, & planum.

In quarto autem casu, in quo constet de dolo vero ex
26 parte minoris, ita circumvenientis ignarum, ac innocentem creditorem, qui cum justa credulitate ejus assertionem sequatur extra controversiam est, ut ex utriusque, scripti, ac naturalis juris principiis, & rationibus, favore innocentis, ac dolum passi, contra dolosum responderi debeat, cum lex providerit, ut minores non circumveniantur, non autem, ut alios circumveniant.

Hinc proindè, tota pugna fuit super applicatione, in qua scilicet distinctionis parte versaremur; Prætendente
27 creditore, quod cum ipsi assistat supradicta præsumptio exclusiva doli, ac inductiva bonæ fidei, è converso autem debitor, non solùm majorem se asseruit, sed etiam assertionem comprobare curaverit cum dicta fide per ipsum procurata & exhibita, ita versaremur in dicto quarto casu, quam falsitati dolus inesse dicatur.

Verùm, ubi etiam aliæ circumstantiæ non concurrerent, de quibus infra, adeòut omninò in ambiguo versaremur; Adhuc tamen, etiam cum sensu veritatis, dicebam id non obstare, dum retenta eadem regula, in dubio exclusiva fraudis, ac doli, donec probetur, rectè dici poterat, quod versaremur potius in tertio supra distincto casu erroris, qui ob nominis identitatem à parocho partitam extrahente, committi potuit, & consequenter, quod minori adhuc succursum remaneret.

Attentis autem facti circumstantiis, mihi probabilius videbatur, quod potiùs versaremur in primo casu, doli, & machinationis ex parte creditoris, ita callidè affectantis istam cautelam, quoniam ubi ea nimia est, regulariter in hac materia, vel in altera, magnam inducit suspi- 28
cionem contra illum, qui in ea se fundat; Idque deducebam ex duplici circumstantia; Primò scilicet ex qualitate contractus societatis officii, cum adeò gravibus usuris, & cum subjectione coactionis mediante difidicta ad restitutionem sortis, undè propterea non nisi per imprudentes dissipationi solùm cogitantes, vel per decoctos, ac perditos frequentius iniri solet, præsertim ad rigorosam quamvis licitam taxam 12. pro centenario.

Et secundo, quod attento tempore dictæ fidei baptismatis, contrahens esse deberet in ætate provecta, & tamen, etiam de tempore præsentis disputationis, ad plures annos post contractum sequutæ, aspectus vix præseferebat eum majorem, undè de tempore quo contractus initus fuit, impossibile erat, quod creditor opinari potuerit eum in illa ætate constitutum; Et his accedebant aliæ circumstantiæ magnam circumvetionis suspicionem redolentes.

Ideòque, ut pluries, ac pluries agendo de hoc speciali 29
articulo minoris asserentis se majorem, sive de altero, de quo infra *dicto disc.*37. filiifamilias asserentis se patrem familias, dicere consuevi, ista non est quæstio juris, sed puri facti, ac propterea, neglectis tot ampliationibus, limitationibus, & declarationibus, in quibus Juristæ præsertim moderni Collectores cum consueta ineptia se involvunt, prudentis judicis partes sunt, benè reflectendi ad facti circumstantias, potissimum verò ad qualitatem creditoris, an dici valeat verisimiliter conscius minus veræ assertionis, necnè; Et fortius ad qualitatem contractus, ac sinceritatem actus, ex quibus, & ex qualitate debitoris, rectè coniici potest, an potiùs, ista dicenda sit affectata cautela, quæ fraudem, ac dolum in creditore, vel altero contrahente magis probet, vel confirmet.

Hinc proinde erroneum est desuper procedere cum do- 30
ctrinis, seu regulis generalibus, quoniam stant benè simul, ut in uno casu tali assertioni deferendum sit, atque pro creditore, seu contractus validitate responderi debeat, in altero autem secus, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, eo modo quo in omnibus facti quæstionibus habemus; Atque ita credo, quo pro debitoris absolutoria judicatum sit, nisi concordia litem terminaverit; cum in casu succumbentiæ, recursus debitorum ad Signaturam videatur non pati limitationem.

ROMANA PECUNIARIA PRO PHILIPPO CAFFERIO CUM N.

Casus disputatus cor. A. C. credo resolutus pro Philippo.

An minor, qui sit Juris Doctor, admittatur ad allegandum nullitatem contractus gesti absque solemnitatibus Statuti; Et quid de minore Clerico.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An minori, qui sit Juris Doctor succurrendum sit.*
3 *Affirmativè in iis, quæ facti sunt.*
4 *Quid in iis, quæ sunt juris.*
5 *Quomodo in Italia conferatur Doctoratus, vel in Hispania.*
6 *Ætas minor in Italia ferè ubique abbreviata est.*
7 *Quod doctoratus conferatur etiam indoctis, & de materia doctoratus remissivè.*
8 *De circumstantia, ob quam actus gestus per minorem quamvis doctorem, non substineatur.*
9 *De alio casu.*
10 *An clericis suffragentur statuta agentia de minoribus.*

DISC.

DISC. XXX.

1 CUm ex defectu formæ præscriptæ in Statuto Urbis 151. atque ex benè probata minori ætate Philippi de tempore confessatæ dotis, nulla caderet dubietas super contractus invaliditate; Accederet autem circumstantia, quod dictus minor, doctoratus lauream tunc suscepisse in utroque jure; Hinc proinde Scribentes pro creditore coram A.C. ad hujusmodi nullitatem evitandam, fundamentum constituere conabantur in iis, quæ cæteris rælatis habentur collecta pro utraque opinione apud Odd. *in tract. de re-*
2 *stit. in integ. quæst. 23. art. 7. num. 24. & 31. cum seqq.* & per modernum Baron. *de effect. minor. ætat. effectu 1. num 691. cum pluribus seq.* in quæstione, an minori, qui sit Juris Doctor succurrendum sit.

Verùm scribens eo pro dicto minore, etiam cum sensu veritatis, dicebam hujusmodi quæstionem in foro prorsus incongruam esse, adeòut, scholasticorum, & accademicorum potius pabulum hodie remanere videatur pro inge-
3 niis exercendis; Tum quia ubi læsio pendet ex facto, tunc doctoratus non suffragatur, quoniam quo magis sunt nimium litterati, ac studiosi, eo magis œconomicis rebus inepti; Tum etiam, quia in sensu antiquorum, ubi agatur de iis, quæ consistunt in puncto juris, quoties istud non sit omninò certum, ac planum, antiquiorum tradi-
4 tiones procedunt in Doctoribus excellentibus, quos constat verè esse tales re, non autem nomine, ac solo privilegio, ut apud Odd. & alios ubi supra.

Fortius autem, ac extra omnem difficultatem (juxta modernos præsertim Italiæ mores) ob duplicem facti circumstantiam; Primò scilicet, quod de communi usu, doctora-
5 tus non confertur cum illo rigoroso examine, ac solemnitatibus, cum quibus conferebatur antiquis temporibus, in quibus loquuntur Cynus, & alii antiquiores; Et cujus antiquitatis aliquæ reliquiæ conservantur in Hispania, in cujus Accademiis usus est pro habilitate ad exercenda munera, concedendi licentiaturam, quæ doctoratui Italiæ æquipollet; (Et secundo, quod minor ætas, quæ de jure communi est 25. annorum, hodiè fere ubique in Italia abbreviata,
6 redacta est ad minorem, dum in utriusque Siciliæ Regnis est in ætate annorum 18. & in Urbe est annorum 20. in qua ætate nimium rari sunt casus, quod quis verè Doctor dici valeat; Atque notorium est quod doctoratus redactus
7 est ad talem facilitatem, quod etiam non benè linguam latinam callentes, & qui neque *Digestorum*, *Codicis*, & *Decretalium* exteriores tabulas viderunt, ad illum admittuntur; Et de qua materia *sub tit. de præeminentiis disc.* 35.

Clarius verò in hac facti specie in qua duplex debiti in-
8 fectio resultabat; Una scilicet ratione minoris ætatis; Et altera, quod ageretur de debito pro dote confessata, dum etiam in majoribus, sola confessio, ob suspicionem fraudis prohibitæ donationis, debiti veritatem non probat, ut in sua materia *sub titulo de dote*, ideòque absolutoriam debitori concessam fuisse credo; Quinimò ponderabam, quod ubi etiam iste fuisset excellens Doctor, ita rectè sciens istam confessionem non probare, potiùs scienter negari voluerit.

Et in altera Romana pecuniaria disputata etiam coram A.C. Cum debitor minorem ætatem allegaret adversus obligationem contractam cum Joanne Paulo Sansonio Ur-
9 bis campsore; Ultra motiva facti, ex quibus difficultas cessare videbatur, quod scilicet non benè probaretur minor ætas, ac ageretur de quodam extero ultramontano, se asserente majorem, & cujus aspectus probabilem dictam assertionem reddebat, undè propterea ex his, & ex qualitate contractus procedendo cum distinctione, de qua *disc. præced. & infrà disc.* 37. bona fides in creditore magis exuberare videbatur.

Assumpsi alterum articulum, ob qualitatem clericatus, stante opinione, in qua residet Rota, & Curia moderna,
10 ut Statuta Urbis non complectantur clericos, nisi ubi de voluntate comprehendendi constet, sed quia primus punctus erat magis planus, iste autem difficilior, idcircò Judex neglexit illius inspectionem assumere.

De hoc autem egi in aliis causis pluries, & præsertim in una Maceraten. venditionis domus, pro Compagnonis cum Guidobaldo Luchetto; Cum etenim Vincentius Luchettus de Oppido Civitænovæ, in Civitate Maceratensi vendidisset Laurentio, & Josepho Antonio fratribus de Compagnonis domum, pro cujus evictione se obligavit etiam Guidobaldus filius constitutus in ætate 23. annorum, qui tractu temporis, evictione sequuta, dictam ejus obligationem impugnabat ex eo, quod servatæ non essent solemnitates requisitæ per Statuta utriusque loci, & per Constitutionem Ægidianam in contractibus minorum, huic desuper ex parte emptorum, pro veritate consultus.

Respondi hanc prætensionem parum fundatam videri; dictamque obligationem, non dato alio defectu consensus, validam esse quoniam ultra generalia, quæ habemus in materia exemptionis ecclesiasticorum à Statutis laicalibus, de quibus *sub tit. de success.* ubi est fedes materiæ; In his specialibus terminis contractuum non subjectorum Statutis laicalibus, ubi initi sint per clericos, & ecclesiasticos firmatur, per Rotam in Romana pecuniaria 18. Junii 1655. 22. Junii 1657. & 28. Martii 1664. cor. Cerro, *quarum prima est impress. dec. 52. p. 12. rec.* & de quarum casu agitur *sub tit. de dote disc.* 22.

Et quamvis in eo casu, Ego de prædictarum decisionum relevantia dubitaverim *d. disc.* 22. ac etiam *disc.* 143. *eod. tit. de dote*; Attamen, ultra rationem dubitandi resultantem ab eo, an ibi ageretur potius de Constitutione Papali, quam de Statuto laicali; Duplex alia dubitandi ratio cadebat; Primò scilicet, quod non constaret de animo clerici contrahentis, an voluerit, necnè uti beneficio Statuti, quò uti poterat in ratione favorabili, ac privilegiativa; Et secundò, quod contractus initus erat cum laico, qui Statuto subjectus erat, ideòque intrabat ratio claudicationis, vel altera inhabitationis dicti alterius contrahentis ex ibi deductis.

Utraque ratio in præsenti cessabat, quoniam emptores erant etiam ecclesiastici, cum unus esset clericus beneficiatus, & alter miles Hierosolymitanus; Ac etiam, quia dictus clericus, qui pro patre se obligaverit, expressè cum juramento renunciaverat cuicumque beneficio istorum Statutorum, & constitutionis; Ideòque nulla subesse videbatur ratio cur adversus juratam renunciationem venire licitum esset; Licèt enim à Statuto inhabilitatus ad contrahendum, dicatur quoque inhabilitatus ad renunciandum Statuto, quod publico favore potius introductum dicitur, ut alibi *hoc eodem tit.* advertitur; Attamen id provenit ex potentia Statuti proprium subditum inhabilitantis, sed ubi hæc potestas cessat, atque punctus reducitur ad solam voluntatem, tunc ubi ista est clara, cessat omnis quæstio, ut ego etiam locis citatis admitto.

Potissimè autem in hac facti specie ex duplici circumstantia; Primò scilicet, quia tractabatur de actu laudabili obligationis pro parte juxta celebrem, ac receptam *decis.* 120. Gregor. ut alibi advertitur; Et secundò, quia de constituto in ætate 23. annorum, quæ ut supra, ex frequentiori Italiæ usu major reputatur, quamvis in ea provincia, & aliquibus adjacentibus, in hoc viciatur cum antiqua simplicitate.

ROMANA DOMUS PRO FRANCISCO GOTTIFREDO CUM IGNATIO PETRONIO.

Casus decisus per Rotam pro Francisco.

Ad eandem materiam Statuti 151. Urbis super invalida alienatione facta per mulierem, præsertim ob defectum causæ; Et an ista debeat esse vera de jure, & de facto, & sic utili, vel non damnosa, vel sufficiat, quod sit vera de facto tantùm.

SUMMARIUM.

1 FACTI series.
2 *Resolutio causæ principalis.*
3 *De alio puncto melioramentorum, eorumque fructuum, ac de resolutionibus.*
4 *An causa requisita à Statuto 151. debeat esse vera de facto tantum.*
5 *In dubio præsumptio est pro decreto Judicis.*
6 *Quod sufficiat causam esse veram de facto.*
7 *Mulier major potest libere contrahere de jure.*
8 *De discretiva in Statut. 151. & 113.*
9 *Quod causa debeat esse vera, etiam de jure.*
10 *Resolutiones, quæ prodierunt magis proximè novæ legi, debent attendi.*
11 *Ab his recessum fuit.*
12 *Sed posteà ad eas reversum est.*
14 *Declarantur decisiones contrariæ.*
15 *Circa solemnitates Statuti 151. non datur differentia inter dotalia, & extradotalia.*

15 Pro-

15 *Prohibitio l. Juliæ de fundo dotali cessat ex juramento.*
16 *Quid referat agi de dotalibus potiùs, quàm de extradotalibus.*
17 *Causa vaga, & generalis pro indigentiis domus non sufficit.*
18 *De ratione, ob quam verior est opinio, de qua num. 9. rejecta ea, de qua n.*
19 *De differentia inter minores, & mulieres majores, & quomodo causa in una, vel altera specie consideretur.*
20 *Quid hæc statuta operentur in mulieribus majoribus.*
21 *Refertur, sed reiicitur, seu declaratur conclusio, quod ubi statutum non exigit causam, attendi non debeat, an causa justa concurrat necnè.*
22 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant, & statuta attendi.*

DISC. XXXI.

1 DOmum dotalem, Hieronyma Podia Jo. Baptistæ Gottifredi uxor, cum decreto Judicis, ac proximiorum interventu, ad formam Statuti Urbis 151. vendidit Lelio Petronio sub duplici causa, dissolvendi scilicet societates officiorum, aliaque debita viri, ac etiam quia pro dote cauta remanebat in aliis ejusdem viri bonis; Verum paulò post, viro defuncto, & forsan etiam vivente, Hieronyma agnoscens ejus præjudicium, quodque in bonis viri cauta non remaneret, judicium instituit super dictæ alienationis invaliditate, dictæque domus vindicatione, quod vix cœptum, derelictum fuit, vel per mortem, vel ob alia ejusdem Hieronymæ impedimenta; Post diuturnum verò silentium, illud reassumpsit Franciscus filius coram A.C. seu Prelato deputato, à quo favorabilem sententiam reportavit contra Ignatium dicti Lelii emptoris filium, ac possessorem, Introductaque per appellationem causa in Rota coram Verospio, binæ ad favorem ejusdem Francisci, primæ
2 sententiæ conformes prodierunt resolutiones sub diebus 14. Januarii & 12. Junii 1659. quæ habentur impressæ *par. 12. recent. decis.* 109. & 193. ad quarum normam expedita sententia, & commissa causa in eadem Rota coram Celso, cum clausula *constito de duabus*, sub die 14. Maii 1657. pro exequutione responsum fuit, ut patet *ex dec.* 233. *inter ejus impress.* Commissaque denuo causa coram Bevilaqua, cum clausula, *ut ad legitimam*, quatuor, & ultra prodierunt decisiones, non super hoc puncto invaliditatis alienationis, cui reus conventus acquievit, sed super altero detractionis
3 melioramentorum, & an ista satisfacta, seu imputata remanerent cum fructibus saltem à die motæ litis perceptis, & de quo alio puncto (accerrimè quidem disputato,) habetur actum in hac eadem causa *sub tit. de detract. disc.* 35. ubi de hac materia melioramentorum, Et præsertim de articolo, an illos majores fructus, quos ipsa melioramenta produxerunt, ipse meliorans faciat suos, necnè, super quo dictæ decisiones coram eodem Bevilaqua pro utraque parte respectivè sub diebus 11. Decembris 1662. 30. Junii 1664. 1. Februarii 1666. & 14. Decembris 1667. prodierunt.

Quatenus igitur pertinet ad dictum punctum principalem, super alienationis invaliditate; Cum materiales solemnitates decreti Judicis, ac interventus proximiorum, in contractibus mulierum à Statuto 151. desideratæ, punctualiter adhibitæ essent, hinc restringebatur disputatio ad defec-
4 tum causæ, an scilicet sufficeret illam esse veram de facto tantum, absque eo quod emptor solicitus esse teneretur de illius veritate de jure; Vel potiùs necessaria esset dicta veritas etiam de jure, adeòut causa dici valeat utilis, vel saltem non damnosa; Posita enim ista secunda opinione, planum remanebat, atque Scribentes in contrarium non negabant, quod causæ defectus aderat, dum ex hac parte, justificatum jam fuerat in prima instantia, quod ob insufficientiam bonorum, viri, dictæ mulieri consultum non remanebat pro ejus dote, quodque inepta remaneret causa vaga, & generalis pro debitis, ac indigentiis viri, vel domus, ut jam sæpiissimè firmatum fuerat in aliis decisionibus, quæ in istis coram Verospio enunciantur ac passim.

Quamvis enim iidem Scribentes pro reo, cum copiosis allegationibus juxta currentem stylum, potiùs ad ornatum, quàm ad opportunitatem, deducerent planam, ac frequen-
5 tem conclusionem, quam ego scribens pro actore non negabam, ut præsumptio sit pro decreto Judicis, aliisque solemnitatibus donec probetur contrarium per allegantem nullitatem, ex natura præsumptionis transferentis onus probationis in alteram partem; Attamen istud hodie remanet satis debile refugium, ubi per actorem, utilitatis defectus, seu damni effectus probetur, ut in præsenti sequutum jam fuerat, atque de facili, juxta frequentem praxim, est justificabile, ideòque causæ pondus consistebat in dicto articulo juris, an scilicet causa, quam in verbis Statutum exigit, debeat ut supra, esse vera, tam de facto, quàm de jure, ideòque utilis, vel saltem non damnosa.

In hoc autem puncto, Scribentes pro reo, ultra alias generales auctoritates, ac decisiones in aliis casibus editas, magnum, ac potissimum fundamentum constituebant in individualibus decisionibus editis contra eamdem Hierony- 6
mam impugnantem consimiles alienationes, ac respectivè obligationes in causam etiam viri factas, & quarum decisionum prima est registrata *dec.* 56. post Pacis. de Salviano, quæ deindè in plerisque aliis tanquam in hac materia magistralis canonizata fuit, & altera est *decis.* 33. *part. 4. rec. tom. 2.* in qua aliæ enunciantur, ut scilicet sufficiat causam à Statuto desideratam esse veram de facto, absque necessitate contrahentis inquirendi de cujus veritate de jure, dum Statutum ad id non descendit, neque de facili hæc extensio admittenda est, dum agitur de Statuto exorbitante à jure communi, cujus dispositione attenta, exceptis casibus cadentibus sub Vellejano, vel casu indotatio-
nis, mulier major inhabilitata non est ad contrahendum, 7
atque de bonis suis liberè disponendum ad text. *in l. velles, ff. de revocan. don. l. 2. C. ad Vellejan.* cum concordantibus collectis per Gratian. *discept.* 756. *n.* 24. Rota *dec.* 88. *n.* 7. *par. 6. rec. & frequenter.*

Atque *in d. dec.* 56. post Pacific. ponderatur non improbabilis ratio discretivæ, quod scilicet in Statuto 1113. 8
expressè dicitur, ut causa debeat esse utilis, & sic dixit ubi voluit, ergo noluit ubi non dixit ad text. *in l. unic. §. fin autem, C. de caduc. tollend.* & de quo discretivæ argumento sæpè *sub tit. de fideic. & alibi.*

Contrarium tamen (& meritò) decisum fuit, quoniam tam inspecta auctoritate, quam ratione, in verius est; Auctoritate scilicet, quam Rota antiqua hunc intellectum Statuto tradidit, ut in Romana argentorum coram Gre- 9
gorio, seu Ludovisio inter suas *decis.* 333. & 363. ubi de concordantibus, undè propterea intrare videntur ea, quæ frequenter alibi advertuntur in proposito observantiæ interpretativæ, ut attendi debeat proxima, non autem remota; Et præsertim satis ad rem, super attendendis antiquis decisionibus proximis Statuto, vel legi, de cujus 10
terpretatione agatur, habetur *sub tit. de dote disc.* 22. ac etiam *disc.* 143.

Et quamvis deindè ab hac interpretatione recessum fuerit, præsertim *in dicta decis.* 56. post Pacif. cum qua proceditur *dicta decis.* 33. *par. 4. recent. tom. 2. & in aliis*, At- 11
tamen etiam ex tunc doctus, ac judiciosus Advocatus Beltraminus *in addit. ad dictam dec.* 333. & 363. Gregor. advertit id sibi non placere; Hinc proindè, recedendo ab hac secunda opinione, ad primam reversum fuit, præser- 12
tim apud Dunoz. *dec.* 792. & 805. cum quibus deindè in aliis processum est, præsertim in ista causa, & in aliis, de quibus *in disc. proximè seqq.*

Advertendo quoque, quod in dictis antiquis decisionibus contra eandem Hieronymam editis, diverfæ concurrebant circumstantiæ, dum in prima decisione, quæ est 56. post 13
Pacif. non agebatur de formali alienatione, sed de simplici obligatione experibili contra bona extradotalia, quæ per mulierem possidebantur, in præsenti autem agebatur de alienatione fundi dotalis; Quamvis enim ista non dicatur differentia substantialis, cum Statutum non distinguat dotalia ab extradotalibus, atque inhabilitatio non sit ratio- 14
ne bonorum, sed ratione personæ, ac præsumptæ imperfectionis, vel imbecillitatis judicii; Dispositio autem *l. Juliæ* constitutiones differentiam inter dotalia, & extradotalia, dum ad primam speciem prohibitionem restringit, quodammodò antiquata videatur ratione juramenti, in quibuscumque contractibus fortè cum abusu adiici soliti, tanquam species clausulæ adiiciendæ de stylo, quod juramentum ces- 15
sare facit *dictæ l. Juliæ* prohibitionem, ut apud Cavaler. *dec.* 482. *num.* 2. & in aliis.

Adhuc tamen videtur circumstantia considerabilis, in or- 16
dine ad regulandam causam, seu mulieris læsionem, quod magis in una bonorum specie, quàm in altera consideratur, quoniam ut pluries advertitur in sua materia *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 95. & 96. juris commune, quod (excepto Vellejano) fœminas majores viris exæquat, ut supra, circa disponendi, & contrahendi libertatem, negligit bona extra-

extradotalia, & tamen in dotalibus, ubi etiam obligatio, vel alienatio sequeretur pro excarcerando viro, vel alia justa causa, adhuc attendit, an remaneat indotata, quod regulariter dici solet, quando saltem non remanet salva medietas dotis, (licet quandoque, ubi est exigua, id juxta unam opinionem procedat in tota ex ibi deductis;) Ergo circumstantia considerabilis est, agi de fundo dotali, vel respectivè de bonis extradotalibus.

Et in dicta altera *decis.* 33. *part.* 4. *tom.* 2. ponderatur causa, ut mulier se eximeret à molestiis ex propria obligatione resultantibus legitimè contracta, pro excarcerando viro, seu eo liberando ab imminenti carceratione, ut advertitur in prima hujus causæ *decis.* 109. *part.* 12. *recent.* Hæc autem causa in præsenti non accedebat, dum erat vaga, & generalis pro indigentiis domus, quam passim
17 receptum est non sufficere, ut plenè apud Merlin *decis.* 714. & *in dictis decis.* 793. & 805. Dunozetti; Atque enunciata debita societatum officii, erant solius viri, absque aliqua ejus obligatione.

Et quod magis, accedebat quidam plurium contractuum circulus inter emptorem, & venditorem, ac mulierem respectivè, cum quibusdam censibus hinc indè creatis, aliæque circumstantiæ, quæ vel claram redolebant collusionem inter emptorem, & virum, in mulieris circumventionem, ac supplantationem, vel ejus, ac malæ fidei magnum fumum præbebant, quod potissimum attendendum est in decidendo istas quæstiones, magis ex facto, quàm ex jure, ut *disc. seq.* cum aliis proximis advertitur.

Ratio item omninò probabiliorem reddit dictum primum
18 intellectum, ad quem meritò (reprobato intermedio) regressum est, quoniam Statutum in verbis exigit causæ cognitionem, quæ inaniter desideraretur, si statuentes hunc finem non habuissent; Nil obstante prædicto, discretivæ argumento deducto ex Statuto 113. quoniam, Aliud est, ut necessaria sit causa præcisæ necessitatis, vel evidentis utilitatis, quæ ad sensum juris communis desideratur in formali alienatione bonorum stabilium minoris, vel alterius de jure communi prohibiti, ut est Ecclesia, vel Civitas, seu Communitas &c.

Aliud verò agere de alienatione, vel contractu personę de jure communi non prohibitæ, in qua lex municipalis supponat aliquam imperfectionem, vel imbecillitatem judicii, ob quam, cessante justa causa, circumventionem præsu-
19 mit; Isto enim casu, non desideratur causa præcisè necessaria, vel utilis, (ut leguleicum vulgus, capiendo decisiones, vel auctoritates in verbis, quandoque opinari solet,) sed inspicitur, an sit probabilis, viro etiam prudenti, ac perfecti judicii congrua, quamvis damnosa sit, atque patrimonii diminutionem causet, juxta ea, quæ habentur pluries supra *sub tit. de donation.* super puncto donationis factę per mulierem, dum aliàs capiendo in verbis dictam propositionem, ut causa debeat esse utilis, vel saltem non damnosa, nulla differentia esset inter minores, & mulieres majores, atque in mulieribus practicabilis non esset contractus donationis, vel fidejussionis, eo modo, quo non de facili practicabilis est in minoribus, quod non est dicendum; Ideòque requiritur ex causa, quæ ut supra, reputetur justa, & probabilis, quamvis non sit utilis, ob magnam differentiam, inter minores, ac mulieres majores, ut patet ex iis, quæ pluries habentur *sub d. tit. de dote*, præsertim *disc.* 16. *cum plurib. seq.* super obligatione, vel alienatione ex causa dotis, quod in muliere, hujusmodi Statutis non obstantibus, illa reputatur licita, & valida, quamvis ex causa merè voluntaria, in minoribus autem attenditur sola necessitas, cum similibus.

Igitur interpretando jus municipale, ad limites, ac sensum juris communis, atque capiendo hanc mulierem majorum inhabilitationem per quamdam suppletionem ejus,
20 quod jus commune neglexit, ob expertam earum imbecillitatem, ac facilem seductionem, principaliter attendere finem, seu effectum, ob quem lex municipalis prodiit, certasque solemnitates præscripsit.

Hinc proindè, quamvis Rota pluries dixerit, præsertim *dec.* 151. *p.* 11. *rec.* & in præcedenti ibidem insinuata, & in aliis, quod ubi Statutum causam expresè non exigit, illa
21 desideranda non veniat, sed sufficiat adimpletas esse solemnitates ab eo præscriptas; Attamen ut pluries in facti contingentia advertere consuevi, manifestus videtur error, generaliter, ac in litera hujusmodi propositiones capere, sed benè juxta illum probabilem sensum, quem verè habuit Rota, idest, quod ubi Statutum nullam exigit causam, tunc adhibitis solemnitatibus materialibus, intret præsumptio, quæ regulariter, ex earum interventu resultat, neque teneatur alter contrahens causam justificare, eo modo quo tenetur, quando Statutum eam exigit; Sed si ex parte mulieris, vel alterius prohibiti, de injustitia, vel ineptia causæ doceatur, utique dicendum est satisfactum non esse Statuto, ideòque, exprimi, vel non exprimi causam, operativum est, circa inductionem præsumptionis, transferentis onus probationis in unum, vel alterum respectivè.

In hac etenim materia, omninò recipienda quoque venit propositio, de qua alibi pluries, præsertim verò, ac frequentius *sub tit. de fideic.* ut non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, perscrutando finem, seu effectum, ob quem lex, Judicis, & proximiorum, seu 22
curatoris interventum desideravit, ut scilicet per eos ita judicii imbecillitas contrahentis suppleatur, fiatque actus prudens, atque evitentur circumventiones, non autem pro simplici ceremonia, ac formalitate, dum ita esset deteriorem reddere conditionem personarum, quibus lex providere voluit; eisque majus damnum inferre, gravando ad illas expensas, quæ pro omolumentis judicis, aliisque solemnitatibus explendis, pro locorum stylis necessariæ sunt, Et è converso error est procedere cum illis rigoribus, circa necessitatem, vel utilitatem requisitam in minoribus, vel similibus de jure etiam communi inhabilitatis, sed est quęstio potiùs facti, ex istius particularibus circumstantiis prudenti arbitrio decidenda, non autem id, quod in uno casu deciditur, quia sic ejus circumstantiæ exigant, cuicumque alteri applicare, ut etiam advertitur *disc. seq.* & *disc.* 37. *ac alibi*.

ROMANA CENSUS PRO CLEMENTIA MUTINA DE CECCHINIS CUM BERNARDO MAURO, SEU CAPPELLA S. HILARII.

Casus decisus per Rotam pro Clementia, posteà concordatus.

De eadem materia invalidæ alienationis, seu impositionis census factæ per mulierem sine justa causa; quamvis solemnitates adhibitæ essent, ad intellectum Statuti Urbis 151. Et an dicti Statuti dispositio esset, ubi alienatio, vel obligatio fiat ad favorem Ecclesiæ, vel piæ causæ.

SUMMARIUM.

1 FACTI *series*.
2 *An creditores hæreditarii cogi valeant ad cavendum*.
3 *Resolutiones causæ*.
4 *Non potest deputari curator in defectum proximiorum istis non citatis*.
5 *Quod defectus solemnitatum sit substantialis*.
6 *Causa debet esse vera de facto, & de jure*.
7 *Causa falsa in parte, vitiat in totum*.
8 *In actibus gestis cum Ecclesia, vel causa pia non requiruntur solemnitates*.
9 *Declaratur ubi agatur de actu ex motivo pietatis, & amore Dei*.
10 *Secus ubi ex contractu correspectivo*.
11 *Quamvis in Ecclesia non vigeat suspicio circumventionis, & de ratione*.
12 *De eodem, ac de differentia inter unum casum, & alterum*.
13 *Ubi actus est fidejussorius, nil refert, quod creditor sit in bona fide, & de ratione*.
14 *Respondetur ad conclusionem, de qua n.* 8.
15 *An deferendum sit assertioni non existentiæ proximiorum*.
16 *De ratione, ob quam non est deferendum*.
17 *De absentia proximiorum, an attendenda*.
18 *Quod istæ sint quæstiones facti, & quomodo decidendæ*.
19 *De actu declarato valido in parte contra conclusionem, de qua n.* 7.
20 *Quando dicta conclusio, ut defectum in parte vitiet, in totum procedat*.
21 *De eodem, de quo n.* 18.
22 *An solemnitates requirantur in aditione hæreditatis remissive*.

DISC.

DISC. XXXII.

1 CArdinalis Cecchinus, de anno 1654. censum imposuit scut. 6. m. in sorte ad favorem Bernardi Mauri, sive capellæ S. Hilarii in Basilica Lateranensi per ipsum, vel ejus authores fundatæ, ac dotatæ, dictæque impositioni accessit tanquam principalis, principaliter, & insolidum Clementia defuncti germani fratris dicti Cardinalis, uxor, adhibitis solemnitatibus statutariis, decreti scilicet Judicis, & interventus curatoris, juxtam consuetam formulam; tunc ab eodem Judice deputati in defectum proximiorum, qui citati statutis loco, & tempore intervenire neglexerunt; Pro causa verò narrata fuit necessitas extinguendi cum hac pecunia nonnulla debita sub gravioribus usuris, in quibus ipsa obligata erat, ac etiam utilitas, quæ sibi, & filiis, ejusdem Cardinalis nepotibus, redundabat à dictis gravioribus usuris se liberando; Cumque defuncto Cardinali, scripta hærede eadem Clementia, ejus hæreditas minus idonea detecta esset, juxta ea quæ de concursu super dicta hæreditate habita occasione agendi de articulo, an hæres beneficiatus, & emptores bonorum hæreditariorum justè cogant creditores hæreditarios ad cavê-
2 dum de restituendo pecuniam acceptam anterioribus, vel potioribus, habentur *sub tit. de cred. disc.* 53. Hinc pro isto censu tanquam posteriori, ac de facili, in toto, vel in parte excludendo in dicto concursu, præfatus Bernardus, sive dictæ cappellæ ministri, & cappellani, contra dictam Clementiam coram Vicario dictæ Basilicæ Lateranensis egerunt, obtentoque per ream conventam rescripto Archipresbyteri ejusdem Basilicæ, ut procederetur in causa de voto Rotæ, assumpta disputatione in hoc Tribunali coram Bevilaqua super dubio, ut ejus obligatio substineretur, sub die 17. Martii 1664. negativa ad Clementiæ
3 favorem prodiit resolutio, ad cujus normam expedita sententia, & commissa denuò causa in eodem Tribunali coram Bourlemont, sub die 2. Martii 1665. pro ejusdem sententiæ confirmatione responsum fuit, deindeque honesta concordia controversiæ finem dedit.

Duo autem hujusmodi resolutionum fuerunt fundamenta, Unum scilicet, potius facti, quam juris super defectu formalitatis materialium solemnitatum, quod nempe citatus esset solum mulieris germanus frater, quo non comparente, ad curatoris deputationem processum fuisset, nego-
4 cia citatione aliorum proximiorum, quos in facto justificabatur tunc in Urbe adesse, recteque intervenire potuisse, quod sine dubio nullitatem causat, ubi causa non vocandi cesset, ex deductis supra *disc.* 28. & passim, cum sit principium indubitatum; Et alterum circa defectum causæ, dum justificabatur, quod in debitis cum dicta summa extinctis mulier obligata non erat nisi in quadam rata vix quartam partem constituente, & consequenter causa remanebat falsa, vel inepta, ipsaque mulier clarè damnificata, dum ejus indemnitati, ac relevationi super bonis hæreditariis principalis debitoris, utpotè absorptis à creditis anterioribus, consultum non remanebat.

Quamvis autem dictus primus defectus circa solemnita-
5 tes materiales, dicatur etiam æquè substantialis, ut plenè habetur deductum in decisionibus editis in causa, de qua *disc. seq.* & sæpissimè; Attamen principale motivum resolutionum, (ut plenè semper, ac meritò) fuit defectus causæ, quæ in præsenti non solum erat minus vera de juræ, &
6 sic non utilis, sed damnosa, juxta opinionem hodie receptam, ex insinuatis *disc. præc.* sed detegebatur quoque minus vera de facto, ac positivè falsa in parte etiam notabiliori, ac supra dimidium, & ultra, unde propterea de plano intrabat conclusio pariter in hac materia quotidiana, & recepta, ut super nullitate obligationis, vel alterius actus gesti ex falsa causa non solum ubi esset falsa in totum, sed etiamsi in parte, ob individuum voluntatis, ac juramen-
7 ti ipsius contrahentis, fortius verò ob individuum decreti Judicis, & consensus proximiorum, vel curatoris respectivè, ut latè in eisdem decisionibus editis in causa, de qua *disc. seq.* & 190. *n.* 12. & *dec.* 271. *n.* 4. & *seq. par.* 6. *rec. dec.* 171. *n.* 10. *par.* 11. & *sæpissimè*.

Agnoscentes defensores creditoris inevitabilem difficultatem, insistebant potissimè in duobus fundamentis; Primò in qualitate hæreditaria principalis debitoris; Et secundò in qualitate creditoris, quod scilicet Bernardus, cum quo census initus fuit, proprium negotium verè non gessisset, sed potius administratorio quodam nomine illud dictę cappellę pro dote cappellaniarum habentium annexum onus celebrationis missarum, quodque propterea ageretur de Ecclesia, vel causa pia, cujus favore hujusmodi Statutariæ solemnitates non requiruntur, atque obligationes, aliæque dispositiones etiam sine illis validæ sunt, ut per text. *in l. penult. & fin. Cod. ad Vallejan.* cum aliis relatis apud Franch. *dec.* 237. *n.* 2. Caputaq. *dec.* 194. *p.* 3. Rota apud Merlin. *dec.* 575. repetit. *dec.* 190. *n.* 28. *par.* 6. *rec.* ubi concordantes.

Neutrum tamen fundamentum subsistebat; Primum etenim tollebatur ex solo facto, stante beneficio inventarii, ac oblata redditione rationum bonorum hæreditariorum, undè propterea in hoc nullæ erant partes Advocati.

Queverò ad alteram; Scribens pro Clementia (etiam cum sensu veritatis) dicebam dictam propositionem esse veram in casu suo, in quo loquuntur supra allegati, fallaciam verò consistere in applicatione; Procedit enim, ubi mulier, 9
vel alter à lege positiva, communi, vel municipali, absque certa solemnitate contrahere, vel disponere prohibitus, amore Dei, & ex motivo pietatis, ac religionis, aliquam faciat dispositionem, vel obligationem erga Ecclesiam, vel piam causam, quoniam cessante imperfectione, vel defectu naturali, intrant eædem rationes, ex quibus in materia testamentorum aliarumque ultimarum valuntatum receptum habemus, ut quicumque defectus solemnitatum, ac juris positivi non attendatur ad materiam textus *in cap. relatum de testamentis*, cum concordan. de quibus in sua materia *sub tit. de testamentis*, dum in dispositionibus, vel actibus, qui cum Deo geri dicuntur, solum jus naturæ, seu naturalis veritas attenditur, nullamque subjectionem pia causa patitur ega legem positivam, atque hos terminos percutiunt deducta per Franch. *d. dec.* 237. cum aliis per Pich. *ad statut. glos.* 7. *num.* 220. & *seqq.*

Secus autem, ubi Ecclesia, vel pius locus contrahit jure privato ex causa merè correspectiva, adeòut alter contrahens nullum habeat pietatis, vel religionis motivum, nullumque habeat respectum ad Deum, vel animam propriam, sed ad præcisos limites justitiæ commutativæ, contractum 10
correspectivum faciat, tanquam cum quolibet alio privato contrahente, quoniam tunc verius est, solemnitates statutarias requisitas esse, cum inhabilitatio contrahentis proveniat à lege ejus superioris, qui potest proprium subditum inhabilitare ad contrahendum sine certa solemnitate, vel forma, etiam cum non subdito, ex iis, quæ generaliter habentur *sub tit. de dote disc.* 153. ac etiam supra *sub tit. de donat.* & alibi.

Ut in specie ita distinguendo, seu dictam conclusionem favore piæ causæ declarando satis benè advertit Picus *ad stat. d. glos.* 7. *n.* 222. dum relatis duobus numeris præcedentibus utriusque sententiæ sequacibus, hanc dicit veriorem, ex dicta ratione, quæ verè solida est, & convincens.

Et licèt qualitas Ecclesiæ, vel causæ piæ excludere videatur illam suspicionem, seu malam præsumptionem fraudis, 1
& circumventionis, cui statuaria dispositio inniti videtur, (Et ex quo motivo, ut insinuatur supra *disc.* 28. aliqui crediderunt, ut minore contrahente cum altero minore, vel muliere cum altera muliere, seu minore, intraret ratio conquassationis privilegiorum;) Attamen id non est motivum considerabile; Tum quia lex municipalis principaliter innititur rationi præsumptę imbecillitatis, seu imperfectionis judicii mulieris, vel minoris, aut alterius, absque alieno auxilio ad contrahendum inhabilitati, unde propterea attenditur persona facientis actum, non autem altera, cum qua ille fiat; Tum clarius, quia ubi versamur juxta dictam primam partem distinctionis in eo actu, qui principaliter ex motivo pietatis, vel religionis fiat erga Ecclesiam, vel piam causam, tunc adesse non dicitur læsio, minusque circumventionis suspicio, quamvis aliquale commodum, vel interesse accessorium, vel consequutivum ex majori Ecclesiæ, vel piæ causæ ditatione redundet in Rectorem, vel Administratorem, quoniam istud videtur esse tale, quod dictam fraudis, ac circumventionis suspicionem redoleat, ut in terminis Liboniani, cum similibus advertitur *d. tit. de testam. disc.* 8. & alibi.

Non sic est, ubi agatur de contractu correspectivo, in quo 2
persona à Statuto inhabilitata, (ut supra) ad limites justitiæ commutativæ contrahit cum Ecclesia tanquam cum privato, habendo principalem respectum ad recompensam, seu æquivalentiam; Tunc enim rectè cadit eadem ratio fraudis, ac circumventionis in Ecclesiæ Rectore, vel administratore, qui ad proprium commodum, utrumque ita fraudare potest, Ecclesiam scilicet, vel piam causam, quæ det integram æquivalentiam, seu recompensam, & alterum contrahentem imbecillis judicii, quia det